

DE FABVLIS LATINIS IN VSVM PVERORVM PVELLARVMQVE SCRIPTIS*

Ab Ioue principium! Homerus, quem principem poetarum esse omnes concedunt, etiam primus pueris puellisque fabulas¹ scripsisse traditur. Certe Herodotus aut is qui sub Herodoti nomine *Vitam Homeri* confecit nobis haec refert: fuisse illum in insula Chio ludi publici magistrum, antea autem a ciue quodam Chio priuatim liberis erudiendis praefectum esse, quo tempore carmina quaedam luserit. Hisce uerbis id dicit (24–25):²

Διὰ λόγων δὲ ἰὼν τῷ Ὀμήρῳ ὁ Χίος εὐρίσκει ἑόντα δεξιὸν καὶ πολλῶν
ἔμπειρον. ἔπειθέ τε αὐτόθι μένειν καὶ τῶν παιδίων ἐπιμέλειαν ποι-

*) Disputaui de hac materia primum in oratione habita ad exordium Conuentum Varsauiensem *De pueritia nostra fabulosa* (Our Mythical Childhood: Classics and Children's Literature Between East & West), ad quem uocauerant Katarzyna Marciniak et Elżbieta Olechowska professores, die 23.5.2013. – Gratias pro diuersis consiliis debeo Sebastiano van Bommel Traiectensi, Hellae Jahnke Monacensi, Marco Janka Monacensi, Catharinae Kagerer Gottingensi, Iuliannae Katona Monacensi, Bettinae Kümmerling-Meibauer Tubingensi, Veronicæ Lukas Monacensi, Bernardo Platzdasch Heidelbergensi, Angelæ Reinders Aquisgranensi. Sed maxime de his meis studiis merita est Catharina Marciniak Varsauiensis mulier tam docta quam hilaris.

1) Tantum de *fabulis* i. e. de narrationibus fictis agere in animo est. Excluduntur igitur omnia historica, scaenica, lyrica, nedum dicere libeat de eis quae magistri rhetorica, grammatica, catechetica, moralia ad erudiendam iuuentutem ediderunt. Omitto etiam optimum genus colloquiorum scholasticorum, quod praecipue in Germania floruit; de quo utilis manet liber A. Bömer, *Die lateinischen Schülergespräche der Humanisten*, Berolini 1897 (iter. 1966); conferatur nunc praesertim A. Kramarczyk / O. Humberg (edd.), *Paulus Niuvis: Spätmittelalterliche Schülerdialoge*, lateinisch und deutsch, Chemnitii 2013.

2) Ipse Latine uerti (W.St.). Textum Graecum post Thomas W. Allen (ed.), *Homeri opera*, t. 5, Oxonii 1912 (et saepius), p. 207 commode praebent West 382 et nunc Maria Vasiloudi (ed.), *Vita Homeri Herodotea: Textgeschichte, Edition und Übersetzung*, Berolini / Bostoniae 2013, p. 134 (quam secutus sum). De hac Vita breuiter agit Michael Reichel, in: Bernhard Zimmermann (ed.), *Handbuch der griechischen Literatur*, Bd. 1: *Die Literatur der archaischen und klassischen Zeit*, Monachii 2011, 13; commentarium praebet Mario Baier, *Neun Leben des Homer*, Hammoniae 2013, 22–75. Plura nunc apud Joachim Latacz, *Homers Ilias: Studien zu Dichter, Werk und Rezeption*, Berolini / Bostoniae 2014, 63–68. De tempore quo Vita scripta sit uide uirorum doctorum opiniones apud Vasiloudi (ut supra) 3 n. 14.

εἶσθαι. ἦσαν γὰρ τῷ Χίῳ παῖδες ἐν ἡλικίῃ. τούτους οὖν αὐτῷ παρατίθεται παιδεύειν. ὁ δὲ ἐπῆρσε ταῦτα. Καὶ τοὺς Κέρκωπας καὶ Βατραχομαχίην καὶ Ψαρομαχίην καὶ Ἑπταπακτικὴν καὶ Ἐπικηλίδα καὶ τὰλλα πάντα ὅσα παίγνιά ἐστιν Ὀμήρου ἐνταῦθα ἐποίησε παρὰ τῷ Χίῳ ἐν Βολισσῷ, ὥστε καὶ ἐν τῇ πόλει περιβόητος ἤδη ἐγένετο τῇ ποιήσει.

Chius autem cum Homero collocutus doctum illum multarumque rerum peritum cognouit. Ergo ei ut ibi maneret liberorumque curam haberet suadebat. Erant enim Chio liberi apta aetate, quos ei erudien-dos committebat. Is autem obsecutus est. Atque *Cercopes* et *Batrachomyomachiam* et *Psaromachiam* et *Heptapacticam* et *Epicichlides* et omnia alia ludicra, quae Homeri sunt, ibi apud illum Chium Bolissi [sc. in urbe] fecit, unde propter poesis etiam in urbe eius fama iam percrebruit.

Non apertissime quidem dicit scriptor ea ludicra poetica ab Homero magistro discipulis suis scriptos esse, sed sic, ut quod ueri simile uideretur, omnes intellexerunt. Est autem illa *Batrachomachia* siue magis usitato nomine *Batrachomyomachia* i. e. *Ranarum muriumque bellum*, qui unus ex istis lusibus ad nos peruenit,³ carmen fere 300 uersuum ualde ridiculum, quo bestiolarum pugnae omni ornatu epico uerbisque grauissimis, quasi de Achille et Hectore agatur, describuntur. Quod bellum ex hac causa oritur: Psycharpax (i. e. *frusta rapiens*) mus nobili prosapia natus a Physignatho (*bucacas inflante*) ranarum rege in hospitium inuitatur. Quem, ut ad caeruleam illius domum peruenire possit, Physignathus se tergo per undas uecturum esse promittit. Quod bene succedere primum uidetur. Sed cum hydrus aquaticus subito apparens utriusque terrorem iniecit, rana, ut consuevit, aquis se immergit, mus autem, qui natate non didicit, fluctibus obruitur, non sine diris, quas ranae imprecatur. Has ubi aliquis e muribus in ripa forte ambulans audiuit, indignatur, muribus ciuibus suis rem defert, ad bellum eos instigat – quo ranae periturae erant, nisi in fine tragoediolae Iuppiter ipse quasi e machina subuenisset.

3) Edita ab Allen (ut n. 2) 161–183. Cf. editiones factas a Ludwich, Gleit, Fusillo, qui Allen sequitur, West 264–292. Diligentissime de hoc opusculo egit etiam Wölke, breuissime nunc Reichel (ut n. 2) 67–68. Recentēs doctrinas de genere parodico q. d. adfert Most 27–40, non ubique feliciter. Putat enim poetam cum bellum tum (more Callimacheo) carmen epicum infamare, *Odysseam* ut *Iliade* meliorem probare uelle: mures pro *Iliade* esse, ranas pro *Odyssea* etc. Mostium fideliter sequitur Mindt 265 sq. – De ceteris *ludicris* Homericis pauca nota sunt. Notabile fortasse est quod Athenaeo teste *Epicichlides* e magna parte amatoriae fuisse (conu. 639 A) et tamen pueris a poeta recitatae esse (65 A) dicebantur.

De Batrachomyomachiae origine et fati

Quam libenter nos quoque hoc poematum Homero ipsi puerorum amico adscriberemus, nisi eheu dudum homines docti id certis argumentis mendacium esse comprobauissent. Qui nunc fere omnes *Batrachomyomachiam* hellenisticae q. d. aetati, plurimi primo a. Chr. saeculo assignant.⁴ Atque eo quoque consentiunt, quod hoc carmen animis puerilibus tam gratum ac iucundum – nam nunc quoque bestiae minores pro hominibus agentes, ut Michael Musculus (Mickey Mouse) aut Donaldus Anas (Donald Duck), summo opere illos delectant⁵ – in ueterum scholis grammaticis lectum et enarratum esse credunt.⁶ Id tamen nec certum nec uerisimile est. Nam illa, qua isti nituntur, manuscriptorum et commentariorum copia, quae sine dubio magistris grammaticis debetur, ex aetate Byzantina originem ducit, neque ullus codex ante saec. X aut XI scriptus reperitur. Paene omnino desunt papyri ueteres,⁷ quae usus scholastici certissima testimonia solent esse. Nec Martialis Stadiusque Romani, qui Domitiani aetate *Batrachomachiam* – sic enim appellat Martialis – primi laudant, quicquam de puerorum lectione dicunt. Nam Martialis (14,183) illam *nugis* adnumerat, Stadius autem (silu. 1 praef.) Homerum eam operibus maioribus *stilo remissione praeluisse* credit. Vnde probabile est Statium de Homero ipso iuniore tum, cum ista fecisset, cogitauisse; de eorum aetate autem qui carmen legant aut legerint etiam Stadius tacet. Accedit quod e Romanis, qui institutionem grammaticam Graecorum imitari solebant, nemo, quod sciamus, hoc opusculum Latine in usum scholarum transtulit. Quod non ante saec. XVI factum uidetur, cum Byzantinae litterae iam occidentem occupauissent. Sed de hoc postea.

4) Cf. Wölke 63 sq., Gleit 64 sq., Fusillo 41–43. Ludwich eam saec. V tribuerat. Et quoniam Stadius Martialisque primi eam laudant, possis suspicari eam non multo ante eorum tempus sub nomine Homeri confictam esse.

5) Ea tamen differentia quod Michael Musculus similesque bestiae non solum sermone, sed etiam uestitu et uictu pro hominibus se gerunt; ranae muresque Homericis ut bestiae Aesopiae magis naturam bestialem seruant. – Cf. catalogum admirabilem „Liste fiktionaler Tiere“, ubi tamen Homericae ranae muresque desiderantur: http://de.wikipedia.org/wiki/Liste_fiktionaler_Tiere#Ziegen (ultimum euocauit 18.2.2016).

6) Ludwich 37 sqq., cui assentiuntur Wölke 107 et Gleit 19 n. 7: „schon früh als Schullektüre benutzt“. Item Mindt 266, quae ad uerbum ea (ex parte falsa) exscribit, quae in Wikipedia interretiali s. u. Froschmäusekrieg inuenit. Aliter fortasse sentire uidetur West 235.

7) Excipiatur unum chartae frustulum saec. II aut III p. Chr. n. in The Oxyrhynchus Papyri uol. 68, 2003, p. 104–106 (sub num. 4668), ed. ab A. Wouters.

De fabulis Aesopiis

Quid igitur? Nil fabularum puerilium Graeci pueri habuerunt – pueros cum dico, puellas nusquam equidem excludo –, quod aut soli aut cum magistris legerent? Habuerunt sane. Non dico *Odyseam* et *Iliadem*, quas legere matura aetate cogebantur, cum tamen non eis potissimum scriptae essent: Praesto erant *Fabulae Aesopiae*, qui etiam apologi dicuntur,⁸ loquacium bestiarum et utilium sententiarum⁹ plenae, e quibus fabulis etiam ipsa illa *Batrachomyomachia* fluxisse creditur.¹⁰ A qua tamen eo differunt quod aperte aliquam doctrinam ad uitam ac mores pertinentem prae se ferunt, qua illa caret (infra p. 245). Vnde Aesopus, quem earum auctorem habebatur, seruus Phryx gibbosus et deformis inter uiros sapientes habebatur seque etiam scholis commendabat. Iam Aristophanes igitur hominem parum eruditum eo notat, quod *Aesopum non triuerit* i. e. edidicerit¹¹ (Aues 471 οὐδ' Αἴσωπον περάτηκας). Et Plato, cum dicit pueris afferri solere primum *fabulas* (μύθους), quae e magna parte fictae, ex aliqua tamen uerae sint (rep. II 377 A),

8) Vtilis de his nunc quoque Hausrath (1909) 1704–1736; cf. e recentioribus praesertim Perry, Nøjgaard, Adrados, Holzberg; breuiter Maria J. Luzzatto / Jochen Küppers, *Fabel*, DNP 4 (1998) 355–364. Octo uirorum doctorum sententias praebet uolumen a Robert S. Falkowitz editum: *La fable* (Entretiens sur l'antiquité classique uol. 30), Geneuae 1984. Florilegium inuenies apud Schnur (1978). Omnem Aesopiarum fabularum historiam usque ad nostra tempora deductam percenset Franz-Josef Payrhuber, *Äsop*, KJLex pars 1, Erg.-Lfg. Oct. 2008, 1–22 (qui tamen mediaeualia paene omittit).

9) In *Vita Aesopi* c. 1 ille omnium utilissimus ad uitam recte degendam dicitur (p. 35 et 81 Perry); alii eum ad erudiendam iuuentutem maxime idoneum crediderunt (p. 221 Perry). Atque Hermogenes rhetor fabulis Aesopiis puerorum teneros animos ad melius informari posse affirmat (progymn. 1 = test. 101, p. 239 Perry). Cf. infra n. 23.

10) fab. 384 Perry = *Vita Aes.* c. 133, p. 75 et 106; cf. Wölke 91 sqq. et Stefan Merkle, *Die Fabel von Frosch und Maus* [...], in: Niklas Holzberg (ed.), *Der Äsop-Roman: Motivgeschichte und Erzählstruktur*, Tubingae 1992, 110–127, impr. 120–122. West 232 sq. inter exemplaria epyllii nostri numerat etiam *Galeomyomachiam* quamdam, cuius aliquot uersus (West 258–261) supersunt.

11) De uerbo cf. J(an) van Leeuwen (ed.), *Aristophanis Aues*, Lugduni Batavorum 1902 ad l. (plurimas opiniones enumerat Van Dijk 39 n. 10). Quomodo id fieri potuerit sine libris scriptis, non uideo (bene de hac re Martinus L. West, in: Falkowitz, *La fable* [ut supra n. 8] 121 sqq., cf. Nøjgaard I 473 sq.) – quod tamen nunc plerique affirmant; cf. iam Hausrath (1909) 1731 et nunc Holzberg 25 et 33 („in irgend einer Weise“). Recte autem Hausrath (1909) 1717 suspicari uidetur fabulas primum Aesopi uitae insertas fuisse. Cf. etiam Schnur (1978) 21 sq.

cum de deorum heroumque fabulis, tum de Aesopiis cogitare uideatur. Quin etiam Socratem ille refert in carcere somniis quibusdam obsecutum Aesopi apologos uersibus adstrinxisse¹² – unde discimus eos, qui tum uulgati fuerint, numeris caruisse.¹³ Talibus apologis usos esse etiam posteriore aetate magistros et papyri testantur et tabellae cereae manibus scholarium exaratae.¹⁴ Maiores *collectiones* (Συναγωγὰς) apologorum fecisse traditur Demetrius Phalereus¹⁵ philosophus, orator, rhetor, rector ciuitatis, fortasse in usum rhetoricae institutionis¹⁶ (nam Demetrius etiam declamationes rhetoricas primus instituisse traditur). Rhetores autem saltem inde a I saec. p. Chr. apologorum tractationem in sua *progymnasmata* receperunt.¹⁷

Graecos magistros Romani subsecuti sunt. Nam Quintilianus rhetor et oratoribus, quomodo e *fabellis quae nomine Aesopi maxime celebrentur* argumenta sumenda sint, praecipit – quae tamen, ut dicit, *ducere animos solent praecipue rusticorum et imperitorum*¹⁸ – et iam pueris in grammaticorum tutela degentibus eas assignat: *Aesopi fabellas enim uult eos narrare* (sc. dicendo necdum scribendo) *sermone puro et nihil se supra modum extollente, deinde monet ut eandem gracilitatem stilo exigere condiscant.*¹⁹ Vnde tum Romae fuisse quosdam libellos talium apologorum pueris Latine conscriptos ueri simile quidem uidetur,²⁰ minime tamen cer-

12) Phaed. 61 B = test. 73 Perry (p. 231).

13) Recte id quidem Hausrath (1909) 1732.

14) Cf. Holzberg 33 sq., ubi tamen inter grammaticum et rhetorem uix distinguitur.

15) Diog. Laert. 5,5,81 = test. 74 Perry (p. 231).

16) Sic post alios Holzberg 25 sq., aliter Hausrath (1909) 1732.

17) Cf. Hausrath (1909) 1732 sq.; Adrados I 28–132, Holzberg 33–35.

18) inst. 5,11,19 = 98 Perry (p. 237). Fabulis usi erant e poetis iam Ennius, Lucilius, Horatius; cf. Hausrath (1938) 1487 sqq., qui etiam de Graecis sophistis siue philosophis agit.

19) inst. 1,9,2 = 97 Perry (p. 237). Perperam hic Hausrath (1938) 1493 et alii de fabulis Aesopiis poeticis in prosam orationem soluendis agi opinantur; nam id genus exercitationis, quod Quintilianus postea tractaturus est, non ad eas fabulas spectat.

20) Quibus primis, si quidem fuerunt, Aesopi nomen inscriptum non fuisse ex eo colligo, quod nemo ante Phaedrum (prol. 1 et saepe) Aesopum nominat, Cicero et Auctor ad Herennium q. d. de *apologis fabulisque* (cf. n. 23) sine aliquo auctoris nomine dicunt. Inde a Seneca, Quintiliano, Gellio plurima Aesopi mentio est ([Ernst] Diehl, ThL I, 1084 sq.). Ergo ante Phaedri tempus Romanis innotuisse aliquem librum Latinum siue Graecum, qui et uitam et fabulas Aesopi contineret, ueri simile est.

tum. Nam eum qui Quintilianum hic Graeca respicere asseueret, refutare uix possis, cum pueri Romani utriusque linguae litteris erudiri soliti sint. At certe doctor ille non de Phaedro, qui iam Tiberi aetate uersibus senariis quinque libros fabularum scripsit – ut *Latium plures haberet quos opponat Graeciae* (cf. 2, epil. 8–9) –, loqui uidetur. Is enim neque ab ipso in catalogo poetarum (inst. 10,3) commemoratur nec notus Senecae fuisse uidetur, qui *Aesopos logos* uocat *intemptatum Romanis ingeniis opus* (cons. Pol. 8,3).²¹ Quod autem maxime miramur, Phaedrus ille ipse, quem nunc quoque multi magistri primum scriptorem ante Caesarem Nepotem Ouidium tironibus ut suauius proponunt, in ueterum scholis, quantum uidemus, non legebatur.

Quod autem Quintilianus (l.l.) etiam *fabulas nutricularum* quasdam commemorat, quibus Aesopi fabellae *proxime succedant*, illas non libris conscriptas sed ex auditu ac memoria traditas coniectaueris. Ac nisi sciamus multas nutrices e Graecia uenisse, non dubitemus, quin eae quidem fabulae Latinissimae fuerint. Ceterum nouimus Ciceronem puerum apud grammaticum didicisse XII tabulas (Cic. leg. 2,59), quas fabulis uix adnumeres, notumque est Horatium queri de *Orbilio plagoso*, qui se coegerit Liui Andronico nimis uetusto operam dare (epist. 2,1,69–71). Is ipse fortasse *Oduisiam* in usum puerorum scholasticum e Graeco Latine translulerat.²² Sed nobis de scriptis proprie puerilibus agendum est. In quibus fabulae Aesopiae per plus quam millenium primum, ne dicam solum locum tenebant. Nec mirum: Sic mendaciter fictae erant ut, cum sententiis praeceptisque suis uitae prodessent, non solum dulces uiderentur (secundum illud Horatianum *omne tulit punctum qui miscuit utile dulci*, ars 343), sed etiam iocis risum prouocarent.²³ Quid autem gratius pueris?

21) Ex his Phaedri Senecaeque testimoniis colligere ausim iam ante Babrium, quem saec. II p. Chr. n. adscribunt, fabulas Aesopias fuisse Graecis uersibus scriptas. – Neque ignoro plerosque putare ideo Phaedrum a Seneca neglectum esse, quod eum ut plebeium contempserit.

22) Cf. Suet. gramm. 1,2 et Werner Suerbaum, Handbuch der lateinischen Literatur der Antike, uol. 1: Die archaische Literatur [...], Monachii 2002, 95; 100. Quod Suerbaum alii que mirantur Andronicum non *Iliadem* ut nobiliorem elegisse, minime mirum est, si de pueris cogitas, qui fabulosa quam bellicosa malunt.

23) Sic ipse Phaedrus, 1 prol. 3: *duplex libelli dos est: quod risum mouet / et quod prudentis uitam consilio monet*; Auian. praef. [...] *quod in se sub iocorum communium specie uitae (apta suppleui) argumenta contineant* (sc. *fabulae*). Vnde *Romulus* in praefatione Aesopum docere dicit, *quid homines obseruare debeant*, in-

De Romulo fabuloso mediaevali

Medio denique aevo q. d. in occidentalis Europae scholis regnabat *Aesopus* ille aut, ut melius dicam, Aesopiae fabulae²⁴ in varia corpora digestae.²⁵ Quorum unum erat Auiani, qui saec. IV fabulas Aesopias, ut ipse ait, *rudi Latinitate* (sc. antea ab aliis) *compositas elegis explicare conatus* (Avian. fab. praef.) erat.²⁶ Eius corpus XLII fabularum, quae magnam partem e Babrio Graeco deductae erant, per se traditum in scholis legebatur, nempe quod uersus elegiaci tum multo celebriores erant quam senarii Phaedri.²⁷ Nam Phaedrus

ueniri autem in fabulis etiam *apposita ioca, quae multiplicent [...] risum* (Thiele 2). Iam Cicero *apologum uel fabulam* oratori, si defessi sint audientes, iocandi causa commendat (inu. 1,25); item Auctor ad Herennium q. d. monet, ut orator incipiat *ab aliqua re quae risum mouere possit, ab apologo, fabula ueri simili* (1,10), ubi tamen uis *fabulae* et *apologi* latius patet, ut non proprie *fabulae Aesopiae* dicantur (cf. [Otto] Crusius, *Apologos*, RE II 1 [1895] 167–170). Priscianus autem (in *Praeexercitamentibus*) ridiculum in definitione omittit (GL III 430 Keil): *Fabula est oratio ficta uerisimili dispositione imaginem exhibens ueritatis* [sic iam Graeci rhetores]. *Ideo autem hanc primam tradere pueris solent oratores* [!], *quia animos eorum adhuc molles ad meliores facile uias instituunt uitae*. Similiter Macrobius pro ridiculo iucundum ponit, qui duo genera fabularum (nec solum Aesopiarum) statuit, quorum alterum *tantum conciliandae auribus uoluptatis causa*, alterum *adhortationis quoque in bonam frugem gratia* repertum sit (somn. 1,2,7); cf. etiam Isid. orig. 1,4,0. De his definitionibus fabularum praesertim mediaevalibus fuse agit Wheatley 32–51 („theories of fable“), de antiquis Van Dijk 38–78, qui tamen in magna diligentia non satis inter ridiculum et iucundum distinguit (75 sq.).

24) Christiano inde ab aetate Constantini Aesopiis fabulis non inimicos fuisse docet L(eo) Koep, *Fabel, Reallexikon für Antike und Christentum VII* (1969) 129–154, ibi 148–153.

25) Accurate de his rebus egit Grubmüller 58–85, cf. Dicke / Grubmüller XXVII–XLIV. Breues conspectus dant Erwin Rauner, *Fabel, -dichtung* (de Latinis litteris), *LexMA IV* (1989) 201–203 et Günther Glauche, *Schullektüre*, *LexMA VII* (1995) 1581–1591. Plurimas fabulas inuenies in uoluminibus Hervieux I et II et in collectione ab Instituto philologiae classicae et mediaevalis Vniuersitatis Genuensis edita: *Favolisti Latini mediaevali* (e umanistici), uoll. I–XIV, Genuae 1984–2009. *Florilegium copiosum* praebet Schnur (1979).

26) Aliter Küppers, *Die Fabeln Avians* [...], *Diss. Bonnae* 1977, 186 sqq., qui *rudem Latinitatem* ipsis elegis Auiani adscribit; item Holzberg 71 sq. Sed si Auianus se ipsum parum litteris expolitum (Holzberg: „einen unbeholfenen Literaten“) dicere uoluisset, potius scribendum erat: *quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus*. Mea opinione fabulae, quia rudi Latinitate compositae ideoque obscuriores erant, explicatione aliqua per elegos egere uidebantur. Sed rem fateor non esse dilucidissimam.

27) Raro Auianus oratione prosa retractabatur (cf. Grubmüller 60 sq.), saepius uersibus; cf. Hervieux III et diuersas editiones in: *Favolisti latini mediaevali* (ut n. 25).

ipse, quem ideo senarios subrusticos scripsisse puto, quod eos bestiis aptiores quam trimetros nimis cultos crederet, per longum aeuum in obscuro iacebat, donec a. 1596 Petrus Pithoeus tandem eum e codice a se reperto edidit notumque fecit.²⁸ Vigebat tamen Phaedrus ille etiam medio aeuo, sed nouam formam indutus, scilicet in solutam orationem conuersus paucisque aliis fabulis auctus, quae sylloge fere saec. V aut postea composita uidetur. Ferebatur autem tunc sub titulo *Aesopi*,²⁹ nunc fere ab hominibus doctis *Romulus* dici solet, quoniam quidam, qui Romulum sese appellat,³⁰ in praefatione eam filio suo donat. Is affirmat quidem se ipsum ipsius Aesopi fabulas, cuius epistula ad Rufum (i. e. Xanthon³¹) quendam scripta subiungitur, e Graeco in Latinum transtulisse; nos autem eas non omnes quidem,³² sed magna e parte Phaedri esse deprehendimus. Nec tamen, ut ille fecit, ab *Agno et lupo* (1,1) incipit, qua fabula potentium calumniae reprehenduntur – nempe Phaedrus ad talis iniuriae remedium inuentas fabulas credidit (prol. ad lib. 3) –, sed non imprudenter eam, qua Aesopus ipse de suis fabulis loqui uidetur, primam ponit, morem uidelicet secutus eorum poetarum qui in cuiusque libri carmine primo aliquid de suo opere et propo-

28) Breuiter et dilucide de his Martin Schanz / Carl Hosius, *Geschichte der römischen Literatur* [...], pars II, Monachii 41935 (ed. pr. 1899 sine C. Hosius), 449–453.

29) Edidit Thiele; cf. Hausrath (1938) 1484–1486, Adrados II 516–558 (de fontibus), Grubmüller 61–67; de retractationibus posteriorum ibi p. 67–85, Adrados II 640–667, Holzberg 105–116. Phaedrum ipsum post alios edidit Antonius Guaglianone (ed.), *Phaedri Augusti liberti liber fabularum*, Augustae Taurinorum 1969; commentario instruxit Eberhard Oberg, *Phaedrus-Kommentar*, Stutgardiae 2000. 1128 editiones et disputationes diligenter recenset A. W. Lamb, *Annales Phaedriani 1596–1996*, Lothueri Sede (Lowestoft) 1998.

30) Id uerum nomen fuisse Thiele XII sq. iure contendit. Nec pro Romulo conditore urbis uolebat haberi (cf. n. 32) nec pro Romano imperatore, quod Wheatley 64 sq. credit, qui hic mira de *translatione imperii* scribit. Primus *Romulus Niliantinus* q. d. (saec. XI) translatores fabularum eundem uoluit esse atque imperatorem Romulum sc. Augustulum, cf. Hervieux I 293 sqq., II 513.

31) Optime Thiele XV.

32) Cf. Thiele XVIII sqq., qui nonnulla e quodam *Aesopo Latino* fluxisse existimat. Nunc Holzberg 108 sq. primum Aesopum Latinum, quem „Ur-Aesopum“ nominat, fere a. 350 conceptum nil habuisse credit nisi Phaedri in prosam solutas fabulas, eis ante a. 500 alias additas esse a quodam *Romulo*, qui se primum regem Romanorum finxerit, ut antiquissimus uideretur (cuius inepti mendacii tamen nulla sunt indicia).

sito profitentur.³³ Sic enim Phaedrus in tertio libro medio (3,12) scripserat:

*In sterquilino pullus gallinaceus
dum quaerit escam, margaritam repperit.
'Iaces indigno quanta res' inquit 'loco!
Hoc³⁴ si quis pretii cupidus uidisset tui,
olim redisses ad splendorem pristinum.
Ego quod te inueni, potior cui multo est cibus,
nec tibi prodesse nec mihi quicquam potes.³⁵
Hoc illis narro qui me non intelligunt.*

Ex ultimo uersu, quod dici solet *epimythium* (nunc uulgo *Fabula docet* uocatur), elucere uidetur margaritam hic poni pro fabulis Phaedri, quae pretiosae sint, gallum autem pro stulto lectore, qui eis recte uti nesciat.³⁶ Ergo huic fabulae iucundae *Romulus* superscribit: *Aesopus prior³⁷ ipse de se fabulam dixit.*³⁸ Tum fere ipsius Phaedri uerba legerunt scholares:

33) Vt Horatius, carm. 1,1; Ouidius, am. 1,1; trist. 1,1. Recte iam Thiele XXI. Quanti momenti haec transpositio fabulae ad postera saecula fuerit, demonstrat Speckenbach, praesertim p. 181.

34) Intellege *Hoc loco*.

35) Editores recentes omnes, ut Guaglianone (uide n. 29), pro *potes* (P) scribunt *potest* (N V). Sic ut subiectum subaudiendum est *id* (sc. *quod te inueni*). Mihi facilius uidetur sic intellegere: *Nec (ego) tibi prodesse (possum) nec (tu) mihi quicquam potes*. Sic certe medio aeuo inde a *Romulo* omnes intellexerunt.

36) Num hic uerissimus sensus fabulae (fortasse antiquioris) sit, dubito. Nam gallus ille non plane stultus est – alioquin margaritam statim abiceret –, sed pretium rei intellegit („ce qui dépasse [...] son horizon intellectuel“, uix recte iudicat Nøjgaard II 90), de usu desperat. Non nimis inepte igitur inde a Ludouico Guicciardini (1565) usque ad J. C. Gailer (1837) nonnulli uiri prudentes sic fabulam interpretati sunt, ut gallus laudaretur, quod nil bonum nisi quod utile esset, iudicauerit (cf. quae Speckenbach 216–218 diligentissime congescit). Hi tamen audiri minime debent, quoniam contra stat Phaedri epimythium. Iniuria certe Speckenbach 180 putat gallum, quod pretium margaritae non aestimet, similem esse lectori, qui non uideat Phaedrum non *notare singulos*, sed *uitam et mores hominum ostendere* (ut Phaedr. 3 prol. 49 sq.); nam nihil eorum est in galli oratione, quae non indicat, in quo potissimum consistat error eorum, qui fabulas non intellegant. – Cf. etiam Oberg (ut n. 29) 143 et Chiara Renda, *Illitteratum plausum nec desidero: Fedro, la favola e la poesia*, Neapoli 2012, 202–204. Omnia ad historiam huius fabulae pertinentia testimonia congesserunt Dicke / Grubmüller 288–293.

37) Id est priusquam de aliis fabulas narrauit.

38) Sequor „Recensionem gallicanam“, Thiele 8–11 (cuius notae comparandae sunt); cf. Hervieux II 195 („Romuli uulgaris fab. I. IV“). Cetera huius fabulae saepe retractatae exempla commode inuenies apud Hervieux II 131, 190, 246, 262, 316 (uide infra), 352, 383, 418, 461, 474, 513, 564, 654.

In sterquilinio quidam gallinacius dum quaereret escam, inuenit margaritam in indigno loco iacentem. Quam ut uidit, sic ait: 'Bona res, in stercore iaces. Te si cupidus³⁹ inuenisset, cum quo gaudio te rapuisset, ut redires ad splendorem pristinum decoris tui! Ego te inueni in hoc loco iacentem; potius mihi escam quaero. Nec ego tibi prosum, nec tu mihi. Haec illis Aesopus narrat qui non intelligunt.'

In epimythio est aliqua ambiguitas. Si id cum titulo coniungimus, praecipue si Phaedrum ipsum ad illustrandum adhibemus, non dubium uidetur, quin illud *non intelligunt* ad lectores fabularum spectet; si tamen sententia per se legatur, possit dici uideri de eis qui omnino non intellegant i. e. sapientia careant.⁴⁰ Certe tamen hoc proemio, ut titulus ipse indicat, *Romulus* puerorum animos ad margaritas recte aestimandas, i. e. ad fabulas penitus intellegendas incitare uoluit.

De Romulo metrico et rhythmico

Sed hae Romuli *fabulae* non in perpetuum numeris cariturae erant. Nam cum Alexander Neckam in *Nouo Aesopo*⁴¹ tum alius quis poeta, quem (ab editore quodam) *Anonymum Neueleti* nunc plurimi dicunt,⁴² *Romulum* illum saec. XII uersibus restituerunt,

39) Non facile intellegitur. An *cupidus* pro *amator tui*? Dilucidius Phaedrus: *pretii cupidus tui*.

40) Sic *intellegere* absolute dicitur apud Quint. inst. 11,1,93, ubi opponuntur *imperiti* eis *qui intellegunt*; cf. Lumpe, ThL VIII, 2102 sqq. – Vix recte Thiele 10, ut *Romulus* Phaedro similior esset, suppleuit: *qui (ipsum legunt et) non intellegunt* (assentiente Speckenbach 181), quamquam eam lectionem etiam Steinhoewel (c. 1476) 62 (in digitalizato) habet fortasse uetustiore aliquem codicem secutus (de hac quaestione cf. Dicke 53 sq.). E posterioribus *Romuli* sectatoribus id epimythium ad fabulas solas referunt tantum codex Wissemburgensis (*Haec tibi Esopus narrat qui me non intelligis*) et „recensio uetus“ (*Haec illis Esopus narrat, qui eum minus intelligunt*), uide Thiele 10 sq.

41) Post Hervieux II 392–416 edidit Iohannes Garbugino, in: *Favolisti latini medievali* II, Genuae 1987; cf. Grubmüller 77. Alexander scripsit etiam *Nouum Auianum*, quem edidit Thomas A.-P. Klein, in: *Favolisti latini medievali e umanicistici* VII, Genuae 1998, 99–133.

42) Edidit Hervieux II 316–351, qui id opus non sine testimonio codicum aliquorum *Gualtero Anglico* cuidam adscripsit; cf. Hervieux I 472 sqq. Nouam editionem curauit Paula Busdraghi (ed.), *L'Esopus* attribuito a Gualterio Anglico, Genuae 2005. Vtilis est editio Aaronis E. Wright, qui unum codicem saec. XV fideliter una cum notis et commentariis sic transcribit, ut quomodo in scholis tum fabulae tractatae sint discere possis.

non senariis nimirum (tum, ut dixi, non bene notis), sed distichis elegiacis, ut hac parte ab Auiano elegiaco non iam distarent. *Anonymi* istius autem uersus tam late in Europa percrebrescebant, ut, cum in posteriorum scriptis de *Aesopo* legamus, fere semper de illo cogitandum sit. Qui in prologo carmen suum *hortulo* assimulat, qui *fructum cum flore pariat*, i. e. tam utilis quam iocosus sit. Nam: *Dulcius arrident seria picta iocis*, sed tamen *Verborum leuitas morum fert pondus honestum*. Nec male is margaritam suam (in iaspidem conuersam) e stercore eruit (fab. 1):

De gallo et iaspide

*Dum rigido fodit ore fimum, dum quaeritat⁴³ escam,
dum stupet inuenta iaspide Gallus ait:
'Res uili pretiosa loco natiue⁴⁴ decoris
hac in sorde manens nil mihi messis⁴⁵ habes.
Si tibi nunc esset, qui debuit esse, repertor,
quem limus sepelit, uiueret arte nitor.
Nec tibi conuenio, nec tu mihi; nec tibi prosum,
nec mihi tu prodes;⁴⁶ plus amo cara minus.'
Tu Gallo stolidum, tu iaspide pulchra sophiae
dona notes; stolido nil sapit ista seges.*

Epimythium sic accipiendum uidetur: „Notatur⁴⁷ Galli nomine homo stolidus, iaspidis pulchrae nomine dona sophiae⁴⁸; nam haec (dona) stolido non sapiunt.“ Quod simile uidetur ei, quod *Romulus* prosa oratione dixerat,⁴⁹ nisi quod hic apud *Anonymum* aperte

43) In libris *queritat*. Ego istam mediaeualem scripturam nostrae consuetudini adaptaui, ut postea *sophiae* pro *sophye*, *petii* pro *pecii*, *mibi* pro *michi*. (Tantum *Esopo* mediaeuali ubique suam *E* honoris causa reliqui.) Ceterum in Latinis scriptis citandis semper more antiquo *u* pro *v*, *V* pro *U*, *i* pro *j* pono; in initiis uersuum, nisi post punctum noua sententia incipit, minusculas litteras relinquo.

44) Vt uidetur = a natura dati, nisi *notique* legendum; Guelferbytanus 185 Helmstadiensis habet *uariique* (Wright 24).

45) Id est lucri, emolumentum, saepe apud scriptores Chistianos; cf. (Hans) R(uubenbauer), ThL VIII 860, 21 sqq.

46) Color maxime Ouidianus, cf. am. 3,11,39 *Sic ego nec sine te nec tecum uiuere possum* ...

47) In aliis epimythiis saepe legitur: *Haec historia notat* ... , cf. infra p. 237.

48) Paula Busdraghi (ut n. 42) p. 47 *dona sophiae* intellegit „le raffinatezze dei rhetorici flores“, uix recte.

49) Maximam differentiam hic statuere uoluit Speckenbach 185, qui *Anonymum Neueleti* primum has fabulas Christianae doctrinae de moribus accommodare („die antiken Fabeln in die christliche Morallehre einzugliedern“) conatum esse putat. Sed parua illa similitudo quae exstat inter *dona sophiae* et ea quae de sapien-

non iam de fabulis intellegendis, sed de omni sapientia sermo est. Id quod etiam posteris nonnullis sic placuit.⁵⁰ Ceterum minime mirum est hunc potissimum Aesopum elegiacum tantopere magistris discipulisque gratum fuisse. Nam scienter et caesuras uariat et uerba, ut modo in *fimo*, modo in *limo*, modo in *sorde* iaspis illa iaceat; antithetis quoque et anaphoris apposite utitur.⁵¹ Quae artificia dicendi quomodo magistri discipulis tum explanauerint, nunc quoque e multis codicibus cognoscere licet.⁵² – Multo peius hexametris usus est in hac fabula et aliis poetaster quidam, qui uerborum ordinem iam in ipso promythio peruerse detorquet:⁵³

*Fabula quam scripsit dictis haec prima decoris
Esopus est sapiens sôphum⁵⁴ uel mente sagacem
illis qui spernunt aliud uel munere dignum.*

tia sunt in *Prouerbiis Salomonis* ad hoc comprobandum uix sufficit; ceterum non negaueris poetam forsitan etiam ad *Prouerbia* respexisse.

50) Alius *Romuli* interpres (Hervieux II 565): *Sic stultos arguit Esopus, qui sapientiam inuenire non curant, quia eam sibi necessariam forte [legendum: fore?] non cognoscunt.* Similiter Lutherus quoque a. 1530 Germanice (Luther [1926] 233) fabulam interpretatur, qui tamen (quod *Esopum* Steinhöwelii [c. 1476] nouit) Phaedro ueteri similior est: *Docet fabula hunc libellum [!] apud agricolas et rusticos* („bey Bawren vnd groben Leuten“) *non esse in pretio, qui omnes artes ac sapientiam contemunt, ut dicunt: Ars panem quaerit* („Kunst gehet nach Brot“). *Monet autem ne doctrinam spernamus.* (Versio Latina mea est, W. St.) Alius autem *Aesopus* Belga: *Stultus cibum* („vras“) *pluris facit quam praeclarae sapientiae* („wysheyt“) *alta munaera* (uide Hoffmann von Fallersleben [ed.], *Aesopus* in niederdeutschen Versen, Vindobonae 1868, 4). In *Aesopo Dorpii* (1512, cf. infra p. 241), quom multi sequuntur (Speckenbach 208 sq.), gemma est sapientia siue artes liberales, gallus homo stolidus et uoluptuarius. Sic etiam apud H. Clarke, *Selectae fabulae Aesopi* – *Select Fables of Aesop*, Londini 1774, 1 sq., quae editio fuit proprie tironibus Latinae linguae dicata. Simillime John Jackson, *Aesop's Fables*, Londini 1775, 1 sq. Cf. Croxall infra n. 66. Nuper etiam Adrados de ipsa fabula Phaedri (III 548 „certainly a creation of Phaedrus“): „This is the cynic theme of ἀνοία or foolishness“ (II 158).

51) Recte Grubmüller 79, qui ista carmina inter subtilissima et difficillima („anspruchsvollste[n] und komplizierteste[n]“) numerat. *Anonymus Neueleti* etiam Iulio Caesari Scaligero adeo placuit, ut eum *poetis nouitiis non solum ediscendum ob fabularum utilitatem sed etiam propter uersuum munditias imitandum* dixerit (*Poetices libri VII*, Lugduni 1561, VI 304 sq.). Aliis magis displicuit, cf. Hervieux I 499–502; ut nuper C. Arrio Nuro (Harry C. Schnur [1979] 52), qui eum ut cacozelon contemnit. Cf. de eius genere dicendi Busdraghi (ut n. 42) p. 21–25.

52) Demonstrant Wright et Wheatley 58–62.

53) Hervieux II 654; de poeta uide eundem I 801–808.

54) Nota longam *o* in *sôphum* (ut breuem in *Esôpo*). Ceterum uersus non quidem plene leonini sunt, sed uocalis quae in medio uersu est (*scripsit*) in fine repetitur (*decoris*).

Miseri discipuli qui haec disiecta membra in corpus restituere cogebantur – hoc fere modo: *Haec fabula prima est quam dictis decoris Esopus sapiens scripsit illis qui sophum uel mente sagacem (sc. uirum) spernunt* . . . Nam *aliud uel munere dignum* quid significet, aegrius reperias quam iaspidem in stercore.⁵⁵

Quanto iucundior est uersio rhythmica! In qua non sine gratia ternis uagantium (siue goliardorum) uersibus singuli hexametri metrici quidem, sed homoeoteleutis insigniti adstruuntur:⁵⁶

*Quidam gallinaceus uictum quaeritauit;
pretiosus interim lapis latitauit
in luto; quem proferens maerens suspirauit,
quod uictu caruit, quem sic reperire putauit:
'Escam mihi petii; sed cum te iacere
in luto perspiciam, nil mihi praebere
potes. Si te cupido uelles exhibere,
tunc poteris fieri praeclarus eique placere.'*

Satis id quidem suauiter. Epimythio autem, quam uocat *Moralitatem*, magis admirando quam apto fabulam coronat:

*Haec notat historia stultos diligentes,⁵⁷
qui, cum sint uirtutibus affatim fulgentes,
ignorantes gratiam nec grati sistentes,⁵⁸
dum de sensatis mox fiunt insipientes.*

Gallus, nisi fallor, est insipiens ille, qui cum ipse uirtutibus fulgeat (quae certe lapidis pretiosi fulgori adsimilantur), non agnoscit gratiam – quam gratiam? Virtutum uidelicet suarum. Neque hic tam debemus cogitare de maximis illis uirtutibus, quas Plato uel Seneca finxerunt, quam de bonis ac facultatibus quae cuique a natura datae, fortasse etiam a fortuna oblatae sunt.⁵⁹ Quibus si gaudemus,

55) Fortasse dicere uoluit „uel aliud (quod) munere (i. e. praestantia homini a Deo data) dignum est spernunt“; aut: „ . . . uel aliud (quam quod sophum est) munere (hominis) dignum (putant).“

56) Hervieux II 714 sq.; de poeta uide eundem I 801–815.

57) V.l. *stolidos amantes* (e glossa fortasse orta) indicat eos dici quorum amor stultus sit (exspectes tamen *stulte diligentes*).

58) Subaudi *sunt*, ut sit: *ignorant gratiam nec grati sistunt* (pro *manent* aut *sunt*, cf. Blaise s.u. *sisto* II). Sic non semel in mediaeualibus participium praesentis pro uerbo finito ponitur.

59) Inspice OLD s. u. *uirtus* 5 a/c et Blaise s. u. *uirtus* 3–6: De mercis *uirtute* dicit Plautus (Mil. 728), praedium *sua uirtute* ualere uult Cato (agr. 1,2); *herbarum uirtus* in Ouidio (met. 14,357) magicas artes adiuuat. In Sacra Scriptura *uirtus* quasi robur aut potentia et datur et demitur, ut Ps. 37,11: *dereliquit me uirtus mea*,

non etiam creatori nostro gratias agimus? Sin contemnimus, non ingrati sumus? Similiter enim sensisse uidetur etiam *Romulus Nilantius* q. d., cuius epimythium hoc est: *Haec Esopus narrat illis qui non intelligunt bonum quodcumque habent.*⁶⁰ Nec Ioachimus Camerarius, postea grammaticorum in Germania princeps, multum dissensit: *Fabula dicitur iis quibus indignis saepe fortuna splendorem et bona offert, quae et ipsi sustinere nequeant et saepe etiam infamare soleant.*⁶¹

Quam uarios sensus igitur una historiola progignit! Nam alii alia excogitabant, ut istam fabulam obscuriorem uisam nouis epimythiis illustrarent. Vt hic: *Quid prodest stulto diuitias habere, cum non possit sapientiam emere?*⁶² (quod ad uerbum e Prouerbiis Salomonis 17,16 translatum est). Alius autem, ut fabula etiam magis pia esset, iaspidem uoluit esse *regnum caeleste uel gratiam Sancti Spiritus.*⁶³ Quid is, qui eis scriptam fabulam credidit,⁶⁴ *qui ad honorem pertingere ualuissent, si ingenium habuissent?* Etiam magis ridendae uidentur hae theologi cuiusdam ineptiae, qui gallum ut simulatorem sapientiae conuincit:⁶⁵ *Sic sunt multi qui dicunt de uirtutibus, moribus et similibus: 'O quam pulchra, quam pretiosa sunt talia!' Et tamen quia ipsis non sapiunt, dimissis istis ponunt rostrum in stercorebus luxuriae et aliorum peccatorum.*⁶⁶

Ps. 67,36 *Deus Israel ipse dabit uirtutem*; Luc. 9,1 *dedit illis uirtutem* (Graece: δούρομαι) [...] *super omnia*; etiam martyrum reliquiae *uirtutes* uocantur, quod potestatem miracula edendi habent.

60) Hervieux II 514. Sic ibi etiam intellegendum promythium (p. 513): *Esopus hanc primam fabulam dixit de his qui despiciunt sapientiam, ut (sc. despiciunt omne) quodcumque bonum inueniunt.* Non recte Speckenbach 183 (qui hic nodum in scirpo quaerit): „Die Fabel ist denen erzählt, die Weisheit verachten, sobald sie ein materielles Gut finden“ (quod Latine esset fere: *quotienscumque bonum terrenum inuenerunt*). Cf. etiam Hervieux II 654: *Penniger insipiens ut spreuit regia dona, / sic stolidi bruti contemnunt optima quaeque.*

61) *Aesopi Phrygis [...] fabellae* [...], Tubingae 1538, 88; cf. Speckenbach 209, qui hanc interpretationem nouam credit, iniuria.

62) Thiele p. 11 (in *Romuli* „recensione vetere“, quam Thiele p. CLXII nominat); cf. quod Wheatley 213 e libro Lugdunensi affert. Cf. etiam Speckenbach 182.

63) Wright 25.

64) Ademarus Cabannensis, Hervieux II 130; cf. annotationem in editione a Ferrutio (Feruccio) Bertini et Paulo Gatti curata (Ademarus di Cabannes Favole, Genuae 1988), 46 sq.

65) Hervieux II 383.

66) Simile quid neque idem dicit Samuel Croxall (*Fables of Aesop and others*, Londini 1798 [primum 1722], p. 1 sq.), qui margaritam uirtutem putat, qua si quis uti nesciat, is se eam non ignorare, sed contemnere prae uoluptatibus malit. Addit

De fabulis Aesopiis in curriculo scholastico lectis

Nec nunc attinet talium librorum singulorum fata per saecula persequi. Satis iam in uniuersum monstrauius uulgatum inter pueros tota illa aetate fuisse hoc genus fabularum Aesopiarum. Sed inter ueros auctores siue poetas haberi apologorum scriptores non solebant, sed illis quasi praeludere in usum paruulorum uidebantur.⁶⁷ Sic Othlo Emmeramensis (saec. XI) sua *Prouerbia* a minimis natu legi uult post psalterium (quam ut primam lectionem anteponebat), quoniam apertiores sint quam *fabulosa Auiani dicta, sed et utiliora quam quaedam Catonis uerba: quae utraque omnes paene magistri legere solent ad prima puerorum documenta*.⁶⁸ (Nam *Disticha Catonis*, quae dicit, quamquam nonnulla friuola habent, post Donatum fere celeberrima in scholis fuisse constat.⁶⁹) Haec autem sententia Othlonis, qui tam Auianum quam *Catonem* parum utilem paruulis censuerat, minime ab omnibus probabatur. Nam postea Aimericus Francogallus (a. 1086) tam Auianum quam *Eso-pum* inter scriptores *stagneos* quidem (i. e. minus splendidos), sed tamen legendos numerat.⁷⁰ Tum Conradus Hirsaugiensis (s. XII) in *Dialogo super auctores* Donato proximum annectit *Catonem*, postea statim *Hesopum*,⁷¹ cuius fabularum indolem diligentissime explicat, etiam locos Sacrae Scripturae comparans, et Auianum, cui *in ascensu paruulorum* proximum i. e. quartum locum assignat. Est

Croxall gallo suo duas tresue gallinas meretrices, quibus se gloriose iactat. Pendere uidetur ab *Aesopo Dorpii* (1512 et saepius, cf. infra p. 241), cf. Speckenbach 208 (et supra n. 50). Doleo quod sero mihi innotuit haec doctissima disputatio Nicolai Speckenbach, qui plurimas huius fabulae interpretationes percenset. De quibusdam sane aliter iudico. Cf. supra n. 36. Multa praebet etiam Wikipedia s. t. The cock and the jewel: http://en.wikipedia.org/wiki/The_Cock_and_the_Jewel (ultimum euocauit 18.2.2016). Vndecim huc pertinentes fabulas diuersorum auctorum inuenies in: Reinhard Dithmar (ed.), *Fabeln, Parabeln und Gleichnisse*, Monachii ⁵1978 (= ⁷1983).

67) Cf. ad ea quae dico Curtius 58–64: „Die Schulautoren“.

68) *Othloni libellus prouerbiorum*, ed. Gulielmus C. Korfmacher, Chicagini 1936, p. 2. Cf. Grubmüller 90 et Glauche 89 sq.

69) G(ünter) Bernt et al., *Disticha Catonis*, LexMA III (1986) 1123–1127; Otto Brunken, *Catho* [...], HbKJ 1 (1987) 537–559.

70) Glauche 73–75, 98 sq.: adduntur huic generi etiam *Catunculus* (= *Disticha Catonis*), *Homerulus* (= *Ilias Latina*), *Maximianus* (!). Vel diminutiua ostendunt eos libros ad paruulos spectare.

71) R. B. C. Huyghens (ed.), *Conrad de Hirsau: Dialogus super auctores*, Bruxellis 1955, 24–28. De dispositione operis cf. Glauche 107–117; cf. etiam Grubmüller 91.

enim, ut ipsius opinio fert, uelut *in gradu lactentis infantiae positus eorum qui solidum cibum nondum possunt capere*⁷² *nec adhuc disciplinis ualidioribus auctorum maiorum operam dare*. Quem etiam praestantiolem credit quam *Hesopum*, quod sit *catholicus*⁷³ *et ad statum aliquem morum bonorum prouocare possit*. Fere eundem docendi ordinem traditum sequitur Hugo a Trimberg in *Registro multorum auctorum* (a. 1280 composito), qui tamen Auianum, quem uehementibus atque adeo obscenis uerbis infamat, *Esopo*⁷⁴ longe inferiorem ducit (589 sqq.):⁷⁵

<i>Catonem in ordine clara cuius carmina Hunc sequitur per auia inque suo carmine Qui scribendo meruit Esopus triticeum Vere non immerito scribens enim ut ipsius</i>	<i>sequitur Esopus, lucent ut pyropus [...]. scolius⁷⁶ Auianus blaterans ut anus. uapam et lupinum,⁷⁷ panem atque uinum. [...] fertur Auianus; aui tonat anus. etc.</i>
---	---

Vae Auiano pedenti magis quam poetanti! Tantum quod Christianus sit, eum Hugo *in numero auctorum* ponendum censet. Contra eodem fere tempore Eberardus in *Laborinto*⁷⁸ Auianum laudat, quod *trahat a uitiiis*, sed *pauperiore colo eius carmen uenire*, i. e. nimis aridum esse fatetur – contra: *Aesopus metrum non sopit* (i. e. carmen sterile iacere non sinit): *fabula flores / producit, fructum flos parit, ille sapit*.⁷⁹ Non immerito, puto. Nam *Aesopus* elegiacus ille,

72) Similitudo sumpta ex Ep. ad Hebr. 5, 12 [...] *quibus lacte opus sit, non solido cibo*; cf. Paul. I Cor. 3,2.

73) Quod miramur, cum fabulas ipsas legimus Christiana religione prorsus carentes. Sed multi Theodosium, cui Auianus suas fabulas dedicauerat, pro imperatore Christianissimo habebant.

74) *Esopus* hic ut plerumque sine dubio est *Anonymus Neueleti* q.d., uide supra et cf. Grubmüller 77–84.

75) Karl Langosch (ed., comm.), *Das Registrum Multorum Auctorum des Hugo von Trimberg*, Berolini 1942, 185.

76) Sic scripsi pro *scolpus*, quae uox nusquam inuenitur: de tumide garriente dictum suspicatur satis temere Langosch (ut n. 75) 240. *Scolius* (σκολιός) est, qui non recta uia, sed dolose *per auia* (!) procedit.

77) Quae res sunt inutiles minimique pretii; *uapam* intellege *uappam*.

78) Edmond Faral (ed.), *Les arts poétiques du XIIe et du XIIIe siècle*, Lute-tiae Parisiorum 1958, 358.

79) Faral (ut n. 78) hic glossam probat: *sopit id est dormit* – inepte. Eberardus hic, ut iam Grubmüller 94 n. 39 uidit, respicit prologum *Anonymi Neueleti* (Her-vieux II [1894] 316): *Ortulus iste parit fructum cum flore, fauorem / flos et fructus*

qui tum in manibus fuit, nempe *Anonymus Neueleti*, eloquentiae copia certe Auianum languidiorem superauit. Sic tamen per hos duo auctores etiam saec. XIV et XV fabulae Aesopiae suum locum in institutione scholastica firmiter obtinebant.⁸⁰

De recenti aetate Aesopiarum fabularum studiosa

Sed relinquamus medium aeuum! Nouam humanitatis aetatem incipere uolunt iam a Petrarca (saec. XIV), qui in notissima epistula *ab ipsa pueritia, quando ceteri omnes aut Prospero inhaerint* – satis ieiuno poetae – *aut Aesopo* neglectis his triuialibus *se libris Ciceronis incubuisse* narrat.⁸¹ Nec tamen *humanistae* qui dicuntur istum *Aesopum* pueris negare uoluerunt. Quem Mapheus Vegius in nobili libro *De educatione liberorum et eorum claris moribus* (a. fere 1444) post sacra quaedam e paganis primum legendum pueris suadet.⁸² Auctum est id studium eo quod Laurentius Valla⁸³ eiusque magister Rimicius⁸⁴ multas fabulas Aesopias ex aliquo Graeco codice quasi nouas in Latinum transtulerunt. Qui *Esopus Graecus* (ut uocabatur) inde ab a. 1470 typis expressus⁸⁵ tum in nouum fabularum corpus creuit, quod saeculo XVI saepissime retractatum nunc ab uno ex editoribus *Aesopus Dorpii* dici solet.⁸⁶

emunt: hic nitet, ille sapit. [...] Ne mihi torpentem sopiret in(h)ertia sensum, / in quo peruigilet, mens mea mouit opus. In *Anonymo* carmen, ne Aesopus dormiat, efficit; in Eberardo contra.

80) Quod e codicibus Grubmüller 95 sq. comprobatur. Ioannes Dominici, qui paganis scriptoribus non fauet, in „Regula rei familiaris“ (Regola del governo di cura familiare, c. 1400–1405) tamen primos legendos dicit *Catonem* et *Aesopum*.

81) *Rerum senilium* 16,1.

82) *Francisci Philelphi* [cui falso adscribebatur] [...] *de educatione* [...] *opus* [...], Tubingae 1513, lib. II cap. 15: [...] *recte autem fieri uidebitur, si a principio fabellae Esopi eis legantur, quod ad morum rationem pertineant, et puriore etiam humilioraque sermone ac plurimum illis annis congruente compositae sint multumque iucunditatis in se habeant, qua maxime aetas ipsa capitur, suscipiendaque ad literarum studia magis incitatur* [...].

83) Maria Pasqualina Pillolla (ed.), *Laurentius Vallensis Fabulae Aesopicae*, Genuae 2003.

84) Maria Pasqualina Pillolla (ed.), *Rinucius Aretinus: Fabulae Aesopicae*, Genuae 1993 (centum fabulae); cf. etiam Cristina Cocco (ed.), Ermolao Barbaro il Vecchio Aesopi fabulae, Genuae 1994.

85) Praesto est editio Lipsiensis fere a. 1510 in digitalizatis BBPM s. t. *Aesopus Graecus*.

86) Cf. Barbara Tiemann, *Fabel und Emblem: Gilles Corrozet und die französische Renaissance-Fabel*, Monachii 1974, 35–37, 153–155 et Speckenbach 208 sq.

Iam antea Henricus Steinhoewel medicus Vlmensis (in *Esopo* Germanico, primum bilingui) Rimiciana nonnulla cum *Romulo* aliisque in unum librum coegit,⁸⁷ qui picturis lepidissime ornatus se multis multarum linguarum scriptoribus ad nouas interpretationes obtulit, non occidentalibus solum, sed etiam, si credere fas est, Iaponibus.⁸⁸ Is primus post tot saecula, quamquam Phaedrum ipsum nondum norat, fabulam illam de gallo margaritae repertore non ad sapientiam aut uirtutem aut aliquod bonum caeleste, sed ad fabularum ipsarum intellectum spectare uoluit, unde sui lectores, quomodo illae legendae essent, discerent:

(*Qui recte*) *legere uelit hunc libellum, is ad colorem florum,⁸⁹ id est ad fabellas et narratiunculas, animum ne magnopere adhibeat, sed discat inde bona praecepta quibus mores ad uirtutem informet [...]. Si qui [...] tantum fabellarum causa legere uoluerint, non maius inde commodum ferent quam gallus a margarita, qui granum hordei malit repperisse, ut Aesopus in prima fabula docet.⁹⁰*

Ergo ipsa iucunditas fabularum, quam olim ad condienda morum praecepta inuentam putauerunt, auocare potest a uera utilitate.

Quid plura enumerem? Per aliquot saecula in scholis satis studiose hoc genus fabularum Latinarum legebatur,⁹¹ quas Martinus Luther, scholarum ut ecclesiae reformator, post Sacram Scripturam

87) Steinhoewel (1476): In singulis fabulis *Romulus* prosaicus primus est, sequitur uersio Germanica, deinde *Anonymus Neueleti*. Cf. Dicke 42–47: de dispositione operis.

88) Dicke 116–125. Nullus fere liber Germani scriptoris eo saeculo tam late per orbem terrarum uidetur dissipatus esse.

89) Hanc metaphoram ex *Anonymo Neueleti* sumpsit, cf. supra n. 79.

90) Ipse uerti Latine (W. St.). Sic Steinhoewel Germanice: „Also wer das büchlin lesen will, der sol die farb und plumen / das ist die märln [lege: märln] oder fabeln nit groß achten / sunder die guten lere dar inn begriffen, zu guten sitten vnd tugend zelernen [...]. Wann welche [...] diß büchlin allain von den märln wegen lesen wöllent die bringent nit mer dar von wann der hahn, von dem edeln gestain / der lieber ain gersten körnlin funden het, als die erst fabel esopi lert“ (fol 2r/v). Item, cum ipsam illam fabulam explicat, *inutilem* esse fabulam eis dicit qui *uim nobilis margaritae cognoscere et mel e floribus sugere* non queant. Cf. ad hos locos Dicke 27–29. Notandum est Steinhoewelium in *Romulo* aut legisse aut suo Marte scripsisse: *qui ipsum legunt et non intellegunt*; uide supra n. 40.

91) Cf. Josef Dolch, Lehrplan des Abendlandes: Zweieinhalbtausend Jahre seiner Geschichte, Ratingae ²1965, 203, 216, 238 (de fabulis Latinis in scholis protestantium et Iesuitarum). *Conspectum sedecim librorum* (ante 1570 editorum), quibus uaria corpora Aesopiarum fabularum continentur, praebet HbKJ 1 (1987) 893 sqq.

et paucos libros ad uitam utilissimas iudicauit.⁹² Quare etiam ipse nonnullas ex eis Germanice uertit et explicauit, in usum tamen minus magistrorum quam patrum familias, ut eis fabulas praelegendibus et enarrantibus praeter liberos etiam matronae famulique inde fructum caperent.

Saeculo XVII autem e parte ueteribus illis successerunt fabulae non minus iucundae Fontanii (La Fontaine) Francogalli, quas ille more consueto dedicauit puero alicui, nempe ipsi regulo siue delphino Francogallo tum sex annos nato (a. 1668). Quae et ipsae statim (inde ab a. 1696) Latine uertebantur, ut ubique in Europa legi possent.⁹³ Audiamus igitur unum ex iis Fontaniis Latinis, qui denuo gallum illum margaritae siue gemmae contemptorem uituperat, paulo tamen prudentiorem eum effingit et totam fabulam non mediocriter nouat (1,20):⁹⁴

*Effodit gallus furax adamanta, fabroque
gemmarum, occurrit qui sibi forte, dedit.
'Magni, credo, ualet, milii sed perleue granum
fortunae esset', ait, 'res magis apta meae.'*

Exspectes nunc illam *moralitatem* siue epimythium, quod apud Fontanium tamen non sententia aliqua concluditur, sed quasi noua historia, quae rem a bestiis ad homines mutatis leuiter uerbis transfert:⁹⁵

*Heres simplicior chartam⁹⁶ est sortitus, et illam
uicino (quod erat bibliopola) dedit.
'Magni, credo, ualet, minimus sed nummulus', inquit,
'esset fortunae res magis apta meae.'*

92) Luther 229 sq. Ibi ab editore laudatur etiam epistula, qua (23.4.1530) ad Melancthonem scribit se *tria tabernacula* aedificaturum esse, *Psalterio unum, Prophetis unum et Aesopo unum*.

93) Pantoia interretialis enumerat septem uersiones, unde mihi praesto est Jean B. Giraud presbiterus, *Fabulae selectae Fontanii e Gallico sermone in Latinum conuersae in usum studiosae iuuentutis*, Rothomagi 1775, qui liber tam ad emendationem morum quam ad Latinam institutionem spectare uidetur.

94) Sequor Giraud (ut in nota praecedente) t. 1, p. 70, qui uerba ac uersus apud Fontanium inter se respondentem mirifice reddit.

95) Speckenbach 220 sq., qui diligenter de hac fabula agit, hac noua narratione grauitatem sententiae diminui *ironia* quadam existimat; cui minime assentior. – Tales fabulas Gottholdus E. Lessing in notissima disputatione (Abhandlungen über die Fabel, pars I) uocat *compositas* („zusammengesetzte“).

96) La Fontaine: „un manuscrit“.

Quo loco mihi Fontanius Phaedrum antiquum paene superare uidetur. Nam apud illum gallus eum lectorem notabat qui *fabulas* prorsus non intellexeret, cum tamen gallus se uti non posse margarita fateretur, pretium eius agnosceret; Fontanius autem facit ut gallus et heres optime inter se conueniant: uterque uidet quanti sit quod repperit, sed uti non potest.⁹⁷ Ceterum satis notum est quantum Fontanius ipse Aesopo ueteri (siue *Anonymo Neueleti* et Auiano) debeat – ut seruus ille Phryx iure ac merito etiam harum recentium fabellarum auctor ac princeps dici possit.⁹⁸ Quem ipsum abhinc aliquot annos Ianus Novák musicus Morauius egregius etiam in scaenam cum suis bestiis ad cantum chori et symphonicos induxit – cum gaudio iuuentutis: *En in cothurnis / prodit Aesopus nouis ...*⁹⁹

*In scaenam iam mittit pedem,
amplum secum ducit gregem,
ducit secum bestias
magnas, paruas, medias. [...]*

97) Multo audacius quam Fontanius nuper Franciscus Schlosser in libello scholastico, qui inscriptus est *Fabulosum* (Monachii 2013) sex fabulas Aesopi siue Phaedri nouauit atque adeo circumuertit. Apud quem agnus telephono minuto („Handy“) usus aediles ad captandum lupum scelestum aduocat, et coruus tam caute cantat, ut uulpem spe casei defraudet. Nec uersus pessimi sunt, uelut: *Quid cerno meis oculis / arbusculae in foliis? / Est coruus, qui Helueticum / in rostro habet caseum*. Sed nonnulla mendosiora.

98) Primus Russaeus (Jean J. Rousseau) contra inueteratam magistrorum opinionem affirmauit fabulas Aesopias etiam nocere puerorum animis, qui ueritatem occultiolem intellegere non possent, multis tamen aduersantibus. – Omnem fabularum historiam breuissime percenset Reinhard Dithmar, Fabel, DNP 13 (1999) 1063–1070; cf. eiusdem librum supra (n. 66) laudatum. Multos libros enumerat Christian Stoffel, Phaedrus [...], DNP Suppl. 7 (2010) 635–644. Cf. etiam Franz-Josef Payrhuber, Äsop, KJLex pars 1, suppl. 34 (2008) 1–22 (qui mediaeualia paene omnia omittit); Bettina Kümmerling-Meibauer, Aesop (d. i. Aisopos), in: B. Kümmerling-Meibauer (ed.), *Klassiker der Kinder- und Jugendliteratur*, uol. 1, Stuttgartiae / Vimariae 1999, 9–13. Plurima inuenies apud Speckenbach.

99) Jan Novák: *Aesopia et Aesopia minora*, num. 1 et 2 in *Conspectu operum* http://stroh.userweb.mwn.de/novak/novak_11.htm (ultimum euocauit 18.2.2016). Opus a. 1981 a choro adulescentium Vlmensium primum exhibitum est; postea saepe cantauit chorus Gymnasii Pestalozziani Monacensis. In scaena cum saltatoribus primum egit Theatrum Musicum Brunense a. 1990. Discus compactus uenalis prostat apud Forum Traiani – der Römershop: <http://www.der-roemer-shop.de/> (ultimum euocauit 18.2.2016). Cum saltatione pars operis exhibetur: https://www.youtube.com/watch?v=cUb8K2CC_BY (ultimum euocauit 18.2.2016).

*Bestiarum sub personis
demonstrantur cantu, sonis
hominum stulta uitia
magna, parua, media.*

*Haec semper mouebunt risum,
agnum ni flect occisum
nostra misericordia
magna, parua, media.*

Notauit enim agno illo a lupo direpto Bohemoslouaciam suam a. 1968 a cataphractis Souieticis oppressam, ut nos quoque Germani, inter quos expulsus e patria exul habitare cogebatur, afficeremur *misericia – magna, parua, media.*

Ranarum et murium bella in occidentem translata

Sed renascentium litterarum aetate magistri fabulis Aesopiis ad instituendam iuuentutem contenti non iam erant. Tandem aliquando etiam *Batrachomyomachiam* in occidente diu neglectam quasi praedam Graecam pretiosi cimelii instar in Italiam transtulerunt. Neque enim dubium est, quin in scholis Byzantinorum, ut codices testantur,¹⁰⁰ illa diu, fortasse iam inde a saec. IX, lecta sit. Cur antea apud Graecos magistros in contemptu quodam iacisset, iam suspicati sumus: nempe doctrina morali carere uidebatur. Sed tum cum saec. IX in illa litterarum Graecarum renaissance q. d. magistri eos libros quaererent, qui iuuentutem ad sermonem classicum assuefacere et tamen pueris potissimum grati esse possent, obtulit sese ut commodissima illa *Batrachomyomachia*. Cui tum more praeceptorum, qui per saecula perennis ualet, praecepta moralia et alia adscribebant.¹⁰¹ Hos igitur grammaticos Graecos saec. XV secuti sunt Itali. Quis credere possit? Ante *Iliadem* et *Odyseam* mures ranaeque illae Homericae, quamquam iam tum nonnulli de

100) De studiis Byzantinis cf. Carpinato in: Fusillo 138–143.

101) Ludwig 38 laudat scholium in cod. Marciano (s. XIII): *Commixta est* (sc. *Batrachomyomachia*) *e ludicris et seriis* (παίγνιους τε καὶ σπουδάσμασι), *quam ob causam magis conuenit pueris qui stupent ludicra, quos nimirum disciplinarum orbis lactat* (ἐγκύκλιος παιδείουσις γαλακτοτροφεί – e Graeco uerti, W. St.); in p. 198 inter utilia numerantur non solum praecepta moralia, sed etiam quod pueri e poemate discant, qui ranarum muriumque cibi sint!

auctore dubitabant,¹⁰² typis expressae sunt (neque antea ulli Graeci typi fuisse in usu uidentur): Haec editio princeps fere a. 1474 apparuit. Continebat autem in foliis rectis praeter uersus Graecos translationem Latinam, qua uerbum uerbo reddebatur (qualem nunc *interlinearem* dicere solemus):

Ἀρχόμενος πρῶτον Μουσῶν χορὸν ἐξ Ἑλικῶνος
Incipiens primum Musarum chorum ex Helicone

ἐλθεῖν εἰς ἐμὸν ἦτορ ἐπέυχομαι εἶνεκ' αἰοιδῆς
uenire in meum cor opto causa cantus

ἦν νέον ἐν δέλτοισιν ἐμοῖς ἐπὶ γούνασι θῆκα ...¹⁰³
quem nuper in libellis meis super genibus posui ...

Nimirum *cantus causa* dicendum erat, sed uerborum ordinem Graecorum interpretes seruare maluit. Aderat enim in foliis uersis etiam altera translatio eaque poetica, qua Carolus Aretinus (Marsuppini) tum mortuus, qui olim cancellarius Florentinus fuerat, carmen docte ac lepide transtulit.¹⁰⁴

*Ranarum murumque simul crudelia bella
quaeque super genibus descripsi carmina nuper
nunc canere atque omnes hominum uulgare per aures
est animus. Spirate, deae, sacrumque mouete
ex Helicone chorum uocique inducite carmen.*

Bene, tam Latine quam musice! Quid autem uoluit sibi ista triplex structura? Causa patet: Pars bilinguis eis destinata erat, qui Graece discere uellent; Caroli carmen Latinum autem Musarum amicis. – Audiamus igitur poetam strenuum etiam de fatali illa nauigatione:

102) Falso haec dubitatio Henrico Stephano ut primo adscribi solet. Cf. uel unum Henricum Glareanum (ut n. 114) in praefatione et Melanchthonem (18,142: *Quod quidam non indocti dubitant* [...]). Nec fugere potuit uiros doctos quod Plutarchus carmen Pigreti cuidam tribuerat (mor. 873 E).

103) De sensu huius uersus disputatur. Mea sententia poeta carmen, quod in tabellis incohauit, nunc Musis adspirantibus (in chartis) perfecturus est. Sed pluri mi nunc eum Musas ad recitationem instituendam uocare credunt, quod eis ualde salsum uidetur.

104) Vnicum exemplum huius editionis, quae auctoris et loci nomine caret (uidetur autem Brixiae edita esse), nunc inuenitur in Bibliotheca John Rylands Vniuersitatis Mancuniensis (Manchester): Inc. 3325 (Rylands Collection). Paginae inde a pp. 1v et 2r ibi digitalizatae exhibentur. Exemplum in BBPM (4 Inc. s. a. 1038 a), quod digitalizatum est, habet epistolam dedicatorem et uersionem poeticam (e qua aliquot uersus allaturus sum), non tamen carmen ipsum Graecum et uersionem interlinearem. – De fati Batrachomyomachiae Marsuppianae diligenter egit Knauer 23 sqq., de editionibus saec. XV et XVI Carpinato in: Fusillo 144–148.

*Non sic portabat taurus sibi pondus amatum,
fluctibus Europam uexit cum in litore Cretae,
ut rana attollens pallentia corpora fluctu
tergore supposito muri sua tecta petebat ...*

Sed iam adest calamitas:

[...] *cum subito horrendum uisu uidere per undas
hydrium fatiferum tollentem colla sub auras.
Quem simul aspexit gelido cum pectore rana,
corpora, dum cuperet uitare pericula tanta,
qui¹⁰⁵ fuerat stagno misere periturus in illo,
immemor heu socii trepidantia¹⁰⁶ mersit in undis.
Ille simul sese cernit uectore¹⁰⁷ relictum,
palluit et misere¹⁰⁸ cecidit resupinus in aequor
compressitque manus gemitu miserandus et omne
compleuit stagnum tentatque euadere mortem.*

Hinc belli causa. Psicharpax enim iam moriturus exclamat:

[...] *cernit deus omnia uindex.
Namque dabis poenas meritis pro talibus; et iam
uideris armatos horrendo ex agmine mures.*

Bene hoc quoque Carolus expressit. Neque immerito eius interpretatio Latina postea saepissime usque in saeculum duodeuicesimum typis excusa est!¹⁰⁹ Quam etiam Capnioni, i. e. doctissimo Ioanni Reuchlin, falso adscripserunt.¹¹⁰

Carolus Aretinus autem aperte in praefatione dicit se hortatu iuuenum quorundam, qui minus Graece calluerint, munus huius carminis uertendi suscepisse, quod Homerus ipse (ut e Statio notum) adulescens composuerit. Sic posterius quoque, qui Aretinum il-

105) *Qui* pendet a *socii* in proximo uersu.

106) *trepidantia* coniungendum est cum *corpora*.

107) Hic non qui uehitur, sed qui uehit.

108) Emendaueram pro *miserum*, quod est in uetustis exemplis (supra n. 104).

Sed postea *misere* scriptum inueni iam in editione, quae falso Capnioni (Reuchlin) tributa est (infra n. 110).

109) Knauer 24 sexaginta sex manuscripta et nouem editiones sibi notas esse dicit.

110) *Homeri Batrachomyomachia hoc est bellum Ranarum et Murum, Ioanne Capnione Phorcensi metaphraste*, Viennae 1516. Sed Capnion ipse quoque prosaicam translationem scripsit, quae Monachii seruatur necdum edita est. De origine erroris doctissime agit Knauer (1996) 26 sqq.

lum ut interpretes aut editores secuti sunt – erant autem plurimi,¹¹¹ nec deerant qui hoc carmen ipsi *Iliadi* anteponerent¹¹² –, saepe minores natu respexerunt seque a iuuentute legi uoluerunt.¹¹³ Inter quos arte eminent et ingenio, quantum noui, saec. XVI Ioachimus Mynsingerus Dentatus,¹¹⁴ nunc magis propter iuris peritiam notus, et iam saec. XV Elysius Calentius, qui Homeri carmen ingeniose augens ad amplitudinem 734 uersuum dilatauit eique nomen *Croaci* indidit (sic enim in gratiam Graecae minus peritorum pro *Physiognatho* ranarum ducem nuncupat).¹¹⁵ Quod sese scripsisse uult duo-

111) Wild 3 sqq. e primis multos, non omnes enumerat, quos *ut fungos post pluuiam* e terra exsiluisse dicit. In una Francogallia inter a. 1507 (a Tissardo) et a. 1581 (a Simone Lemnio) *Batrachomyomachia* duodecies edita uidetur (Andrew Pettegree / Malcolm Walsby [ed.], *French Books: Books published in France before 1601 in Latin and languages other than French*, III & IV, Lugduni Batauorum 2012, 958 sqq.). Batauia octo uersiones protulit (C. M. Geerars, *Het komische epyllion „Batrachomyomachia“ en zijn Nederlandse bewekingen*, *De Nieuwe Taalgids* 61, 1968, 361–378). Paucae editiones et retractationes enumerant Wölke IX–XII et Glei 5–10, plures Io. Albertus Fabricius, *Bibliotheca Graeca*, Hamburgi 41790 (21705), 338–340. Inter quos sunt Ioannes A. Ernesti et Fridericus A. Wolf. Tamen in nouis encyclopaediis uel manualibus de libris puerilibus confectis (ubi plurimi *Aesopi* enumerantur) hoc unum opus, si dis placet, omititur! Magnopere de litteris mereretur, si quis totam historiam *Batrachomyomachiae* inde ab aetate litterarum renascentium percenseret. Sed opus est saepe infinitum.

112) Jacobus Gaddius: *Batrachomyomachia uidetur mihi nobilior propiorque perfectioni quam Odyssea uel Ilias, imo utramque superat iudicio ac ingenio et praestantia texturae*. Collectae erant tales *Variae Virorum Doctorum de huius poematis aethore* [et de uirtutibus carminis] *opiniones* in praefatione editionis Josuae Barnes (Cantabrigiae 1711), quas exscripsit Michael Maittaire in editione sua (Londini 1721) p. XVIII–XXIII (ibi legitur Gaddius p. XVIII).

113) Cf. Lukas 11–13, ubi plura laudantur.

114) Eam uersionem addidit suae editioni Graecae Henricus Glareanus (Frisingi Brisgoiae 1547), polyhistor nobilissimus, cuius praefationem legere operae pretium est.

115) Typis impressus est *Croacus* primum Romae 1503. Cf. nunc Elisio Calenzio, *La guerra della ranocchie: Croaco*, ed. Liliana Monti Sabia, Neapoli 2008 (quam editionem sequor). Etiam alia nomina sic transformantur, ut a Graecae minus doctis intellegi possint. Sic rex murium uocatur *Rodilardus*. – Carmen nuper enarrare conata est Nina Mindt quae Mostii uestigia secuta (cf. supra n. 3) etiam ab Elysiis non tam de bestiolis quam de artis poeticae quaestionibus agi credit, ubi Elysium rationem Callimacheam, qua magna prae paruis carminibus spernuntur, defendat (unde carmen „metapoeticum“ fiat). Quod aperte falsum est. Valde nocet, quod Mindt interdum uerba poetae falso interpretatur, ut cum in primo uersu carminis (p. 273) *Dicite, Dij nemorum, quae prima iniuria ranas* [...] *impulit*, poetam aliquid primum inuenisse („das Motiv des Erstheitsanspruchs“) opinatur nec respicit morem epicorum, qui initio operum in primam causam actorum inquirere solent (ut Il. 1, 8 etc.).

deuiginti annos natum (ergo, si credimus, a. 1448), sed multo postea id dedicat filio puero etiam minori natu, ut is se *a minutarum ferarum proeliis ad heroum ducumque gesta facilius* conferat. Mira autem facilitate eius uersus fluunt, ut Pontani Sannazariiue amicum sentias. Velut cum iniuriam Croaci, quae causa belli est, eo auget, quod hydri illius partes omittit (1,137–142):

*Nam cum uix medias tetigisset gurgitis undas
deseruit comitem fugiens imosque petiuit
rana lacus subterque latens subsedit harena.
Ille autem ignarus nandi fluctusque liquentis
ter caput obiectans nullo adiutore per undas
mersit aquis, totiens superas erexit ad auras [...]*

Batrachomyomachia ad bonos mores iuuentutis conformata

Nec dubium tunc uidebatur interpretibus multis, ut iam Byzantinis, quin Homerus eum lusum docendi causa uel ad mores emendandos scripsisset. Sic Servatius Aedicollius (c. anno 1510¹¹⁶) in praefatione uersionis Latinae (mediocribus uersibus scriptae¹¹⁷) se ideo id fecisse dicit, ut *adulescentum ingenia ioco huiusce modi atque suauitate illecta altius quiddam eniterentur*, i. e. altiozem quendam sensum quaererent. Is in fabulis Aesopiis paene manifestus erat (si quis non ut gallus margaritam in stercore despexit), in *Batrachomyomachia* non ita; nullo enim uerbo Homerus ille indicauerat quid sua fabula doceret. Et haec fortasse inter causas erat, cur id poematum olim a magistris antiquis minus aestimaretur. Quam lacunam tamen strenue suppleuit Melanchthon educatorum Germanorum princeps.¹¹⁸ Is enim in oratione *De utilitate fabularum* habita,¹¹⁹ primum illam antiquitus traditam doctrinam de ue-

116) *Batrachomyomachia* [sic] *Impressa nuper Parisiis* (c. 1510; BBPM: A. gr.a. 525).

117) V.3–5: *Sic [rectius: Si] mihi nunc sacros Helicon indulgeat amnes [= fontes!] / Pieridumque chori properent inmittere cantum / pectus in optantis populi uulgare per aures [= in pectus optantis (eum cantum) per aures populi uulgare]*. E talibus uitis imitatorum ingenium Caroli Aretini aut Elysi Caleni cognoscas.

118) De eo aliisque praeceptoribus morum cf. Ludewich 27 sqq.

119) Melanchthon 11, 116–120 (= *Selectarum declamationum Philippi Melanthonis* [...] t. 1, Argentorati 1564, 628–636); laudatur p. 118. Hanc declamationem Melanchthon, ut e prooemio apparet, non ipse habuit, sed puero cuidam recitandam mandauit.

ritate quae in fabulis Aesopiis sub dulci uel iocoso figmento lateret, ut se animis puerilibus gratius insinuaret, diserte explicauit, tum ad *Batrachomyomachiam*, quod *mellitissimum carmen* appellat,¹²⁰ applicauit.¹²¹

*At is [sc. Homerus] pueris, quos in Graecia passim [!] docebat, bellum ranarum et murium scripsit, ut simul teneros animos lepidissima fabula delectaret, simul doceret quantum praestaret dissimulare quam ulcisci iniuriam, quam sint incerti turbarum ac bellorum omnium exitus, nec raro accidere ut ab inferioribus potentiores uincantur, saepe malum omne in auctoris caput uergere. Nam cum mures nonnulla sane iniuria prouocati armis illam uindicare quam dissimulare mallent nimiumque suis uiribus aduersus imbelles ranas fiderent, donarunt superi uictoriam imbellioribus, et belli auctores pertinaciae suae iustissimas poenas dederunt. Quaeso quid aequae retulit puerilibus animis inseri atque odium turbarum et bellorum, tolerantiae studium et hoc genus alias humanitatis artes.*¹²²

Euge! Plaudendum est Melanchthoni tali praeceptori iuuentutis, qui eam ad pacis amorem informet. Nec tamen affirmauerim illum sub nomine Homeri latitantem poetam tale quid in mente habuisse. Sed certe ipsum fabulae argumentum id *tolerantiae studium* – quam paene nostris uerbis dictum! –, si commode magister aliquis enarrauerit, docere possit. Fuit enim uero iniuria aliqua Physignathi illius, qui credulum socium in undis perire passus sit. Sed perturbata rana timore erat, nouo illi generi nauigationis non fuerat assueta. Error igitur magis luendus erat quam scelus, quoniam deerat uoluntas nocendi. Ac uix attinebat tam crudele bellum mures suscipere, ut denique etiam deos contra se concitarent.

Iam satis murium? Vel titulus huius disputationis meae, quae ad Latinas litteras spectat, me de omnibus eis dicere uetat qui ranas muresque Maeonias in suas linguas transtulerunt. Quorum notissi-

120) Melanchthon 18, 142.

121) Aesopum ipsum non nominat, sed ad eorum opinionem inclinat, qui Hesiodum *fabularum Aesopicarum* auctorem existimant. Quas ipsas laudat in praefatione ad *Fabellas Aesopicas* a Ioachimo Camerario a.1550 Lipsiae editas (Melanchthon 7, 561–564) comparatis e Sacra Scriptura exemplis, quae tamen magis allegoriae quam fabulae putandae sunt, uelut cum arcam Noae pro ecclesia, columbam pro prophetis, coruum pro haereticis interpretatur.

122) Eadem breuius exponit in praefatione *Scholorum in Batrachomyomachian* (Melanchthon 18, 137–154), quae scholia nunc quoque Graece discentibus non inutilia uideri possint. Cf. nunc quae Most 38 sq. de belli uituperatione („Kritik am Krieg“) in hoc epyllio scribit, qui tamen doctrinas a grammaticis carmini adscriptas ut ineptas respuit.

mus certe est Georgius Rollenhagen Germanus, cuius *Froschmeu-seler* (a. 1595 editus) magnitudine ipsa – habet enim paene 20.000 uersus – riuales longe superat. Sequitur is autem Melanchthonem eo quod pueris iocose¹²³ docendo id praesertim praecipit: uel molestam pacem interdum iusto bello potioem esse. Sed, nisi amor uiri me fallit, omnes qui umquam hanc materiam attigerunt facile uincit Iacobi Balde SJ *Batrachomyomachia Homeri tuba Romana cantata*, idque quinque libris (a. 1637).¹²⁴ Qui ad imitationem Homeri (et fortasse Elysi Calentini) se iuuenem hoc carmen lusisse affirmat idque *iuuentuti studiosae litterarum in manus tradit* non sine praeceptis moralibus, quorum plurima ad illud Triginta annorum bellum saeuissimum tunc paene iam uiginti annos Germaniam conturbans referenda sunt (p. 59):

Quod in apologis fieri amat, continet ista scriptio, quaedam quasi semina facile eruenda ad bene uiuendum. Si Murium Ranarumque nomina non intellegas, credes te nostratia praelia spectare et ANTHROPO-MACHIAE interesse. Referuntur uirtutes ac uitia paci belloque communia. [...] Dicas sane nonumquam: HOC ET HOMINES AGVNT: Peioribus odiis efferantur, ridendis de causis deflenda bella mouent, etc. Disce nomina, disce sensum. Quid imiteris, quid uites, dispice.

Putes hunc Iesuitam quoque inter Melanchthonis protestantis esse discipulos, nisi quod aperta ad pacem hortatio deest. Eam enim hominum naturam credere uidetur, ut bella, quamuis abominanda sint, in perpetuum extingui non possint.

Vt tamen plura a se pueri utilia atque honesta discerent, addidit etiam amplissimum *usum ethicum politicum ac polemicum* (p. 148). Nec mirum in homine religioso, quod iam ipso initio discipulos a rebus amatoris et omni lasciuiua auocat. Quid enim Psicharpagem primum in fatali illo lacu detinuisse putatis? Quaerite feminam! (*Cherchez la femme*), ut aiunt: Limnocharis (*palude gaudens*) est quaedam, Physignathi soror nimis uenusta, quae murem tam motibus lasciuis quam mollibus uerbis irritat (1,1,9–13):

123) Magis quam alii se iocosum praeceptorem morum praebebat; quod olim fabularum Aesopiarum proprium erat (cf. n. 23). Cf. quae diligentissime disputat Otto Brunken, *HbKJ* 2 (1991) 843–874.

124) Prudentissime de toto hoc carmine, quod Balde futurorum carminum epicorum praeludium esse uoluit, egit Lukas 1–79. Aditum ad textum facillimum dat Camena Manheimensis: <http://www.uni-mannheim.de/mateo/camena/bald2/te02.html> (ultimum euocauit 18.2.2016), ubi descriptus est *Iacobi Balde Poematum* t. 2, Coloniae Ubiorum 1660, 58–206.

*Atque ea uolenti [sc. animo] sese aspectabilis offert
Limnocharis taliq̄ strepens sermone lacescit.
'Fare age, quo tendis? cur nostra (abruptaque uerba
mersit aquis saliens iterumque euoluit ab imo
molle caput) cur nostra uenis ad litora, Maure? [...]*

Et postea, cum Physignatus frater suspiciosus eam a commercio illius aduenae nigri retinere studet, ipsa renuens Psycharpagem ut gratissimum hospitem futurum in sua liquida regna et cubicula paene inuitat (1,1,30–32):

*[...] Fors nostras laudabit opes. Ego lapsa sub undas
sternam molle uadum uitreumque ornabo cubile.'
Dixit et ad socias gauisa palude reuisit.*

Quis ad has illecebras non tepescat! Vides quorsum Iesuita tendat. Qui in VSV suo addit (Poematum t. 2, 1660, p. 148 sq.):

Habes facem et Helenam huius quoque belli femineum nomen. Et uero cui cladi aut uoluptas causam non dedit aut femina non taedam admouit? Sub Paride lusco staret adhuc Ilion. Vnus lenonis¹²⁵ oculus Asiae oculum extinxit.¹²⁶ [...] Vide item ut Turnum concitet Lauinia, Antonium Cleopatra, sexus inermis armatos uiros! [Sequuntur permulta exempla bellorum a feminis concitatorum.] Nulla, ut scias, aut rara mulier in cladem sterilis est. Bellare si nequit, parit bellatores. Sfortiae mater, uiginti.¹²⁷ Iocastae uterus quantum nefas, quae monstra militum!

Sic paene singulos uersus Balde suis commentariis *ethicis et politicis* instruit. Neque eo minus facetum et iocosum carmen est. Vellem nunc quoque in scholis legeretur. Vellem etiam aliquis nouus poeta Ranas muresque Homericas nostris temporibus accommodaret!¹²⁸

125) Balde aliique eius temporis scriptores *lenonem* fere semper intellegunt amatorem cupidum.

126) Balde hic tam breuiter quam paene inepte ludere uidetur. Hoc enim sentit: „Si luscus i. e. uno oculo praeditus fuisset Paris, Helenae non placuisset, ergo Troia mansisset. Quoniam unus oculus accessit, nempe alter, placuit Helenae: sic ille extinxit oculum Asiae i. e. Troiam.“

127) Lucia, Francisci Sforzae mater, Mucio Sforzae ut concubina septem liberos nothos peperisse traditur.

128) Inter adaptationes (non dico translationes) nouissima est, quantum scio, quam fecit rhythmis iambicis Victor Blüthgen, *Der Froschmäusekrieg*, Francofurti ad Moenum 1878 (cum uenustissimis picturis Fedorii Flinzer), denuo edita Monachii 1994. Sed cf. nunc etiam Aristoquakes (Roland Wiegman), *Batrachomyomachia*: Ilias post Homerum (opus poeticum amplissimum, Germanica lingua conscriptum), <http://aristoquakes.blogspot.de> (ultimum euocauit 11.10.2016). Aliquid

Renascentium litterarum tempore et eo quod subsecutum est multi libri e linguis uernaculis in Latinam transferebantur, ut pluribus innotescerent. Inter quos erant *Eulenspiegel* et *Reynke de Vos* siue *Vulpecula Reineke*. Sed ea opera, seu uulgari seu Latina lingua edebantur, tum non, ut nunc fere fieri solet, iuuentuti potissimum destinata erant, neque ullo modo ad institutionem scholasticam, ne dicam ad eruditionem litterariam pertinebant. Vt *Eulenspiegel* ille quem Ioannes Nemius trimetris iambicis a. 1558 (et saepius) Ultraiecti edidit (hoc titulo *Vlularum speculum, Alias Triumphus humanae stultitiae, vel Tylus Saxo*), quamquam poeta ipse Amstelodami pueros Latine ut magister docebat, non magis eos respicit quam quemuis lectorem, cui suas fabulas proponit, ut cernat ... *quam multos gloria mundi, / quam paucos autem caelica regna iuuent*.

Hartmannus Schopper autem, qui *Vulpeculam Reineke* suam illustre *Speculum uitae aulicae*¹²⁹ – sic enim appellat – esse uoluit, uel hoc titulo indicat suas fabulas allegorice interpretandas esse, quod in *Epistola dedicatoria* elegiaca ad imperatorem Maximilianum II (a. 1566) scripta copiose explicat. Sed quamquam tales fabellas iuuentuti, quae doctrinae seuerioris nondum capax sit, gratam esse non ignorat, ne Schopperus quidem pueris aut adolescentibus cantat, sed, ut e titulo manifestum est, regibus et aulicis. Quos ut doceat post singula capita dimetris iambicis concepta monita utilia oratione soluta subiungit. Sic factum est, ut haec uersio Latina plurimum contribuerit ad diuulgandam illam historiam, donec ad immortale Goethei carmen *Reineke Fuchs* (1794) peruentum est.

simile Batrachomyomachiae sub titulo Warum? non scripsit, sed tantum pinxit Nikolai Popov, Gossowae (in Heluetia) et al. 1995: Bellum ibi ex eo oritur quod mus aliquis ranae, quae florem tenet, eum eripit. Nomine tantum noui opus symphoniacum Der Froschmäusekrieg (primum editum 1989) Herberti Willi musici Austriaci. Antecesserat Wernerii Thärichen, Batrachomyomachia: der Paukerkrieg, duobus tympanistis, uno cantori, choro paruo, symphoniacis (1976).

129) Hunc titulum suprascripsit quater his annis 1574, 1579, 1584, 1595 subscripto hoc: [sc. *Opus poeticum*] *de admirabili fallacia et astutia uulpeculae Reinekes* (Francofurti ad Moenum). Prima editio (1567) priore titulo caruerat. De tota huius argumenti historia cf. Klaus Düwel, Reineke Fuchs, in: Enzyklopädie des Märchens, uol. 11, Berolini 2003, 488–502.

De Telemacho Fenelonii Latinis uersionibus illustrato

His igitur, quoniam minus pertinent ad nostrum propositum, relictis transeamus ad tempora posteriora. Ac Franciscus Fenelonius (François de Fénelon) quidem ad erudiendos adulescentes nobiles et docendos, quomodo ciuitates recte gubernandae essent, scripsit (ab a. 1694 ad a. 1696) *Casus Telemachi* (*Les aventures de Télémaque*), in quibus itinera ab Vlixis filio suscepta narrabantur, ut id quasi *Odysseae* supplementum esset („suite du quatrième livre de l’*Odyssée* d’Homère“). Ipsi enim Fenelonio cura educandi Ludouici ducis Burgundiae, qui rex futurus esset, commissa erat; in *Telemachi* fabula autem talis praeceptoris personam sustinet Mentor Homericus (siue Minerua Mentoris formam induta), qui Vlixis filium comitatur instruitque praeceptis. Id opus fabulosum primum omnium, nisi fallor, tale erat, ut non solum iuuentuti legendum praeberetur, ut pridem *fabulae Aesopiae* aut *Batrachomyomachia*, sed eo consilio iam ab ipso auctore scriptum esset – quare hinc quasi omnium fabularum uerissime puerilium seriem oriri uideamus. Quamquam autem *Casus Telemachi* soluta oratione compositi erant, tamen uel eo ipso, quod Fenelonius illos ad Homeri imitationem in XXIV libros diuiserat, poetas potissimum Latinos ad aemulationem prouocabant. Qui, licet adulescentes respicerent lectores, tamen non Latine eos docere uolebant, sed magis sententias utilissimas per linguam communem et ipsam amoenitatem carminis quam latissime propagare.

Vnus prosam uersionem non inepte concinnauit Gregorius Trautwein sacerdos catholicus Vlmensis.¹³⁰ Eum igitur primum

130) Ad cognoscendam operis indolem prodest exscribere saltem partem tituli pleni (interpunctione seruata): [...] *Fenelonii* [...] *Telemachus Gallice conscriptus. Ob amoenissimam tum tradendae, tum addiscendae Christianae disciplinae methodum in omnes fere Europae linguas transfusus. Nunc Nitidior Latinitate et Indice satis copioso donatus* [...], Francofurti 1744. Is *Telemachus* iterum editus est a. 1750 Cassouiae (Košice). Opus Trautweini postea *captui iuuentutis accommodatum* i. e. notis Germanicis instructum denuo edidit Emanuel Sincerus, Stuttgartiae 1758, quam editionem tam eis factam esse uoluit qui Francogallice nescirent quam eis qui *styli culturam* affectarent. – Conspectum *Telemachorum* Latinorum dabit Pantoia interretialis; cf. etiam copiosam disputationem Diderici (Dietrich) Briesemeister, *Französische Literatur in neulateinischen Übersetzungen*, in: R. J. Schoeck (ed.), *Acta Conuentus Neolatini Bononiensis* (1979), Binghamtoniae / Neo-Eboraci 1985, 205–215, ibi 211 sq.

audiamus. Fenelonius initio operis depinxit Calypso fugam Vlixis amici summopere maerentem (donec Telemachi aduentus eam aliquatenus consolatur), hisce uerbis: „Calipso ne pouoit se consoler du départ d’Ulysse: dans sa douleur elle se trouuoit malheureuse d’estre immortelle.“ Haec breuius et paene acutius Trautwein (a. 1744): *Calypso spem solatii cum Vlysse amiserat. Incusabat fatum misera, quod non posset mori*. Cur autem potissimum Latine *Telemachum* redderet, qui iam in multas linguas transisset totique Europae in deliciis uersaretur, eius causam esse dixit aemulationis quoddam studium non dissimile ei qua Horatius Romani sermonis gloriam aduersus Graecos defendisset (p. XIII):

Auctorem [sc. Fenelonium] habebam prae manibus, cui inest uis, copia, acumen troporum sermonis Gallici, quantum adaequari nulla credebatur lingua posse. Eo igitur erat incumbendum, ut haec quam plurimis excimeretur opinio:

*Ne uirtute foret clarisue potentius armis
quam lingua Latium [Hor. ars 289sq.].*

Trautweinio autem, cum opus iam absoluisset, in manus uenit prima uersio poetica siue epica, quam Anonymus quidam anno ante conscriptam publicauerat.¹³¹ Quem noster non iniuria contempsit, iam cum primum tetrastichon legisset:

*Flebat adhuc Superum celsa de stirpe Calypso,
se male relictā¹³², discessum insignis Vlyssi:
Cura haec prima, Deam se, non mortaleque numen
aeternumque atrox secum [?] per pectora uulnus.*

Hisce miseris uersibus Musa Latina diuinae Gallicae prosae uix par esse poterat. Felicius autem aliquanto post Iosephus Claudius Destouches aulicus Monacensis iuris consultus idem temptare ausus est, qui illa, ut dicit, *egregia pro Iuuentute Rudimenta in carmen heroicum* conuersa a. 1759 Maximiliano Iosepho Electori, domino

131) *Fata Telemachi filii Vlyssis* [...] *Latino carmine reddita*, duo uol. (in uno), Berolini 1743. Praeiuerat omnia Latina temptamina Beniaminus Neukirch, qui a. 1727 *Die Begebenheiten des Prinzen von Ithaca* etc. uersibus Alexandrinis Germanicis illustrauit. Cf. de omnibus translationibus *Telemachi* Susanne Barth, François de Salignac [...] *Les aventures de Télémaque* [...], HbKJ 2 (1991) 970–993; Wolfgang Biesterfeld, François Fénelon, KJLex pars 1, Erg. Lieferung Februar, 2015, 1–19, praesertim 7–15.

132) Sic poetae neolatini nonnulli Lucretium (4,761 *relictā*) aliosque paucos secuti.

suo, dedicauit.¹³³ Quem iam in ipsa dedicatione, cum carminis uim explicat, latenter admonet, *quam inhumanum, quam periculosum rationique ualde disconueniens sit salutem ciuium bello confundere, quantumque exigatur subditos quiete gubernare* [...].¹³⁴ Is igitur primas Fenelonii sententias sic uersibus illustrat:

*Flet dea, nec recipit somnum sub corde Calypso,
causa mali fatalis amor; finire dolorem
morte animo est: obstat caeleste in corpore Numen.*

Sed eum quoque poetam superauit saeculo dimidio post (a. 1808¹³⁵) Stephanus Alexandre-Viel Iesuita et amicus Musarum:

*Flebat Vlyssis iter furtiuum abitusque Calypso
infelix; nec flere modus: seseque pigebat
esse deam, nec posse malis imponere finem.*

Vix uenustius dici haec potuisse credideris. Nec tamen eis contentus Viel in secunda editione (*emendata et accurata*, a. 1814) etiam magis eadem expolire conatus est:

*Tristis Vlysse super profugo deserta Calypso
et flebat, nec flere modus; nimiumque grauabat
afflictam dolor aeternum mansurus in aeuum.*

Tertius certe uersus pulcherrimus nec Marone ipso indignus est. Operae pretium est legere etiam disputationem Francogallicam, quam Eusebius Salverte poeta ipse Stephanique nostri admirator carmini a se edito praefixit. Ibi enim etiam alii interpretes, qui opus Fenelonianum tantum e parte Latine tractauerunt, recensentur et inter se comparantur. Cur igitur Stephanus *Telemachiada*, quam uocat, in Latinos uersus conuertit? Quia fabulae immortalis Fenelonii ad summam pulchritudinem aliquid deesse uidebatur, nisi

133) *Telemach* [sic] *Vlyssis filius, seu exercitatio ethica moralis* [...], Monachii 1759 (*Telemachus* [...], Augustae Vindelicum ²1764). Opus uocat *normam pro Principe exactissimam*, cum *Intuitu Principis in spem Regni adolescentis* scriptum sit. In praefatione ad lectorem autem id etiam ciuibus mediocribus utile esse dicit.

134) Ad pacem uocat etiam pictura in frontispicio, ubi Minerua curare uideatur, ut *Furor impius belli uinctus sedens super arma* frustra fremat (laudantur uersus Verg. Aen. 1,294–296 et 2,599 sq.). Nimirum praeepta haec ad Bellum septem annorum q. d. (1753–1763) spectabant, quo tum Bauaria paene inuita cum Austria contra Prussiam arma sociauerat.

135) *Telemachiados libros XXIV* [...] in *Latinum carmen transtulit* St. A.-V., Lutetiae Parisiorum 1808.

dignitas Romani carminis accederet.¹³⁶ Et quis hoc neget, cum audiatur Mentorem aureis uersibus principes gloriae causa in orbe inutilia bella gerentes ad otium et humanitatem reuocantem (11,333–338):¹³⁷

*Bellum igitur laudis studio ne dicite, reges,
quaerendum. Quae uera nitet, non barbara laus est.¹³⁸
Exiit humanos qui sensus laudis amore,
illum non hominem, sed monstrum crede superbum.
Nec ueram inueniet, sed falso nomine laudem;
nam uerae est bonitas comes, et moderatio laudis.*

De Robinsonibus tironum causa Latinis

Atque hi omnes scripserunt quasi lingua Latina etiam tum omnibus ut commune *eruditorum uinculum et eruditionis uehiculum*¹³⁹ in usu esset. Attamen scimus paulatim iam saeculo decimo septimo, magis etiam duodeuicesimo Francogallia duce in Germania aliisque terris consuetudinem Latine loquendi, tum scribendi quoque ualde deminutam esse, non modo in rebus publicis, sed etiam in carminibus et in ipsis doctorum disputationibus.¹⁴⁰ Non tam necessarium igitur uidebatur pueris addiscere eam linguam quae magis intra quam extra scholarum muros in pretio esset. Accessit quod scriptores illi, quos tum tironibus primos proponebant, Cicero, Caesar, Nepos sua materia a studiis puerilibus magis alieni erant. Quibus etsi Phaedrus aut Terentius, ut Gesnerus iuuentutis amicus mitior suasit,¹⁴¹ admiscebantur, ne ei quidem poetae specu-

136) Sic E. Salverte in ed. prima (ut n. 135) p. III–VI, in ed. secunda (*Tele-machiada* [...] *transtulit Stephanus Bernardus* [!] Viel, Parisiis 1814) p. IX–XI; cf. Viel ipsum in ed. sec. p. VIII, ubi se, quod captus fuerit deliciis tam uenustis quam honestis in Fenelonii opere, uertendi consilium cepisse dicit.

137) P. 192 in ed. secunda (ut n. 136), quae hoc loco a prima uix differt.

138) Sic intellego: Vera laus, quae nitet, non est barbara i. e. a humanitate remota (F: „hors de l’humanité“). De Caesare et Napoleone gloriae cupidus cogitandum est (quos tamen uulgus, ut notum est, ueneratur).

139) Vtor uerbis Ioannis A. Comenii, secutus Eckstein 101.

140) Cf. Stroh (2007) 228 sqq., Leonhardt 245 sqq.

141) Johann Matthias Gesner: *Institutiones rei scholasticae* [primum: Ienae 1715] – „Leitfaden für das Unterrichtswesen“, ed. et Germanice uertit Meinolf Vielberg, Aquis Mattiacis 2013, 186–190 (= cap. II 3,4–8).

lum eius uitae ostendebant, in quibus pueri ipsi uersabantur.¹⁴²
Vnde noua uia Latine docendi quaerenda erat – et inuenta est.

Sed hic paulo altius res repetamus oportet. Anno 1719 Daniel Defoe immortalem suum *Robinson Crusoe* ediderat, cuius *casus* („adventures“), Telemachi *casibus* („auantures“) aliquantum dissimiles erant: Nam ut ille a diuino magistro salubria prudentiae praecepta hausit, sic Robinson ex eis quae ipse experiebatur (Sacra Scriptura sane adiuuante) recte uiuendi uiam repperit. Hunc librum Russaeus (Jean-Jacques Rousseau), *Aesopo* ut iuuentutis magistro pessimo inimicus, unum in *Aemilio* (*Émile*) suo pueris minoribus legendum esse statuit plaudente saeculo, quod *Robinsonem* deuorauit. Quare eum Germanicae iuuentutis in usum conformauit Ioachimus Henricus Campe, tum educatorum in Germania fere princeps, s. t. *Robinson der Jüngere* (a. 1779), in quo multa quae suis lectoribus aptiora essent addidit. Finxit praesertim aliquem patrem familias hanc historiam in dies digestam narrare suis liberis, ut eis interrogandi, ipsi autem respondendi et explicandi copia esset (quo utilitas operis ualde aucta uidebatur).¹⁴³ Campe autem cum uideret tales libros fictos pueris esse gratissimos, suasit magistris, ut id suum opus translatum in scholis Latinis ad primam institutionem adhiberent. Quod sic affirmauit: *Nam ubi est nunc liber quem tuto possis tironibus Latinis in manus tradere, qui talis sit ut et intellegi possit praebeatque eis simul idonea et iucunda? Quaesiui studiosissime, non inueni.*¹⁴⁴ Nemini scriptori antea, quantum scio, tale quid in mentem uenerat. Id autem statim arripuit Philippus Iulius Lie-

142) Nonnulli tamen conabantur ob eam causam scriptoribus etiam neolatinis aditum ad scholas munire; cf. Eckstein 105 sq., qui hoc ut stultum improbat. Cf. nunc van Bommel 138–141 („The quest for Latin textbooks“).

143) Cf. Hans-Heino Ewers, Joachim Heinrich Campe (1746–1818) Robinson der Jüngere [...], HbKJ 3 (1982) 215–233; Reinhard Stach, Johann Heinrich Campe, KJLex pars 1, Grundwerk Juli 1995, 1–15, praesertim 3–6.

144) Ipse Latine uerti (W. St.). Germanice: „Denn wo ist das Buch, welches man [...] den ersten Lehrlingen der lateinischen Sprache, ohne alle Bedenklichkeit in die Hände geben könnte? Das Buch, meine ich, welches lauter, für solche Kinder verständliche, für solche gehörige, für solche auch zugleich angenehme Sachen in einem leichten lateinischen Gewande enthielte? Ich hab’ es sorgfältig gesucht; aber fand es nirgends.“ Campio nota erat translatio Francogallica, quae et ipsa ad eam linguam discendam instituta erat. De Aesopo siue Fontanio non iam cogitauit, propter auctoritatem, puto, Russaei, qui illorum fabulas ut obscuras pueris et praeceptrices mendacii auaritiaque damnauerat.

berkuehn Brandenburgensis magister experientis ingenii,¹⁴⁵ qui sex annis post (a. 1785) *Robinsonem Secundum Tironum causa Latine uersum* publicauit¹⁴⁶ – simplicissimis uerbis, sed puris et uenustis! Audiamus *Robinsonem* Campianum:

Es war einmahl ein Man [!] in der Stadt Hamburg, der hieß *Robinson*. Dieser hatte drei Söhne. Der Aelteste davon hatte Lust zum Soldatenstande, ließ sich anwerben und wurde erschossen in einer Schlacht mit den Franzosen. Der zweite, der ein Gelehrter werden wolte, hatte einmahl einen Trunk gethan, da er eben erhitzt war; kriegte die Schwindsucht und starb. Nun war also nur noch der Kleinste übrig, den man *Krusoe* nante, ich weiß nicht, warum? Auf den setzten nun der Herr Robinson und die Frau Robinson ihre ganze Hofnung, weil er jezt ihr Einziger war. Sie hatten ihn so lieb, als ihren Augapfel; aber sie liebten ihn mit Unverstand.

Sic Lieberkuehn eleganter et simpliciter (p. 4):

Fuit olim Hamburgi uir quidam, cuius nomen erat Robinson! Habuit tres filios, ex quibus natu maximus, qui militiae nomen dedisset, in proelio quodam cum Francogallis commisso cecidit. Alter, qui litteris operam dabat, imprudenter aquam frigidam biberat, cum forte uehementer incaluisset; itaque phthisi correptus diem supremum obiit. Iam parentibus praeter minimum natu, qui, nescio qua de causa, Crusoe appellabatur, nullus supererat. Sed in eo omnem spem suam ambo collocauerant, quippe qui iis unicus esset: cariores eum habebant ipsis oculis suis: sed amor eorum stultus erat.

Hinc igitur discere potuerunt non pueri modo, sed etiam puellae – nam iam Campe unam *Carolottam* („Lotte“) pueris audientibus admiscuerat (quam in *Carolinam* Latiniorem Lieberkuehn mutauit) –, quantum interesset inter uerum amorem parentum, qui liberos laboribus assuefacere, et stultam indulgentiam eorum, qui nimium eis assentarentur. Voluit autem Lieberkuehn, ut post aliquem *librum elementarem* lectum in hoc *Robinsone* suo *tirones* lectione tantum non *cursoria* [...] *celerius procederent, neque nimis etiam Grammaticis rationibus impedirentur*. Tum fieri non posse dixit, *quin magna cum uoluptate in eo legendi uersaturi* essent. Idque non optauit solum: In multis scholis hic *Robinson* legeba-

145) Eius uitam diligenter descripsit Bernd Platzdasch, de litteris neolatinis perbene meritus.

146) Plenus titulus: *Ioachimi Henrici Campe Robinson secundus tironum causa latine uertit, atque indicem latinitatis adiciendum curauit, Ph. J. Lieberkuehn, Zullichowiae 1785; aditum praebet Pantoia interretialis: Übersetzer / Lieberkühn. De hoc opere fere nihil in HbKJ 3 (1982).*

tur,¹⁴⁷ secunda editio, tertia, quarta quoque (annis 1789, 1794, 1802) successerunt a Ludeuico Friderico Gedike¹⁴⁸ curatae – nam Lieberkuehnum ipsum triginta quattuor annos natum indigna mors e nimis laboribus abripuit.

Quis credat? Ne tum quidem, cum omnes illi *Robinsones* diuenditi essent, gymnasiorum situs expleri potuit, quae tanta erat, ut nouus extiterit interpres, qui primum inuentorem etiam superare elegantia linguae uellet. Nam in quibusdam Lieberkuehn – nescio an iniuria – nimis neotericus esse et ab accuratissima norma Latinitatis deflectere uidebatur.¹⁴⁹ Ioannes Fridericus Theophilus Nagel igitur, non ludi magister, sed *publicus uerbi diuini minister*, ut ait, annis 1823 et 1828 denuo *Robinsonium* (sic) *Minorem* ea ratione transtulit, ut, cum inter *simplicitatem* puerilem et *elegantiam* eruditam *uelut in biuio haereret*, mediam uiam sibi eligeret, nempe ut in dialogis *dandum aliquid puerorum infirmitati statueret, in caeteris omnibus caueret, ne linguae Germanicae genium nimis redolerent*.¹⁵⁰ O temporum felicitatem! Quanta diligentia in fabula puerili! Neque enim hic sacerdos, ut Lieberkuehn et Gedike, moribus puerorum aut pietati consulebat, sed uni linguae puritati, cui *Robinsonium* quam *Robinsonem* magis conuenire censuit. Neque ea ratio abhorruit ab illa institutione *neohumanistica* quae dicitur, in qua Antibarbari noui¹⁵¹ Latinitatem Ciceronis Caesarisque terminis etiam artioribus circumscribebant quam uiri docti saeculo antea. Sic itur ille de Robinsonii familia (pars I p. 6 sq.):

Fuit quondam uir Hamburgi; Robinsonio nomen erat. Tres ille habebat filios. Quorum natu maximo libido erat stipendia merendi. Itaque militiam sequutus proelio cum Francogallis commisso occisus est. Secundus, literis operam daturus, quum calore aestuans temere bibisset, tabe confectus obiit. Minimus tandem solus supererat, Crusoeus, nescio quare, cognominatus. In quo Robinsonius pater eiusque uxor omnem spem collocabant, quoniam unicus esset. Summo erga hunc amore feruebant, sed imprudenti.

147) Vide Platzdasch 14. Qui iure dicit hunc librum nunc quoque commendatione dignum esse.

148) Frater Friderici Gedike scholarum reformatoris notissimi; cf. Frisch 32–34 (qui tamen Gedikios non distinguit).

149) Cf. van Bommel 138.

150) *Robinsonius Minor*, pars prior, Helmstadii 1823 (digitalizatus in Pantoia: Übersetzer / Nagel), p. V.

151) Cf., si uis, notissimum Krebsii *Antibarbarum* (quo nunc quoque, si Latine scribimus, utimur) cum libris similibus priore saeculo confectis.

Atque is quidem, ut uidemus, Lieberkuehnii uestigia pressit eumque, ut uerum fateamur, non nimium emendauit. Longe maiore licentia autem aliquot annis antea (inde ab a.1809) Francogallus quidam, Franciscus Iosephus Goffaux, suo Marte fretus, si credere fas est – Lieberkuehnii certe mentionem non fecit – *Fata Robinsonis Crusoei* secundum Campium iterum Latinae linguae commendauit. Sed quam facundae ac floridae! Audiamus eum (in editione posteriore) tantum de primo familiae filio Martis amico:¹⁵²

Erat Hamburgi, in urbe apud Germanos celeberrima, uir quidam, cui nomen Robinson. Suscepit ex uxore tres filios. Maximus natu, armorum studiosior quam librorum, tractare a teneris gladios, ordine militari pueros instruere, aures uicinorum repetito tympani sonitu obtundere, uixque adulescens factus, e fictis certaminibus ad uera procurrens, militiae nomen suum dedit. Cum ille didicisset per aliquot menses stare et sequi, uertere corpus ad sinistram dexteramue, exarsit bellum Turcas [!] inter et Germanos, in quo cum multa egregie fecisset, cecidit aduerso confossus uulnere. [Etc.]

Nonne hic iucundissime magister ille, qui etiam in ciuitate publica munera sustinebat, et pueriles exercitationes militares et seueriorem Martis disciplinam descripsit, dum singula quaeque ante ipsos oculos et aures collocat. Velles alumnus fuisses in Lyceo Imperiali Parisiensi, ubi ille Latine docebat. Nam is quoque suum opus tantum *tironum gratia* i. e. ad Latinam linguam bene discendam (non tamen sine aliquo respectu pietatis et honestatis) se scripsisse affirmauit. Hac ipsa re ille et una cum illo Lieberkuehn, Gedike, Nagel plurimum distant ab eis, qui olim *Telemachum* Latinitate donauerant tantum uenustatis et utilitatis causa. Ornatum autem et copiosum dicendi genus Francisci I. Goffaux adeo non displicebat magistris et scholaribus, ut quinque annis post primam editionem quarta prodierit (1813), mox quinta, denique etiam in America (a. 1820) et Anglia (annis 1820/1823) liber disseminatus sit. Alii id opus usque in saeculum uicesimum retractando protrahebant¹⁵³ uario successu, semper tamen eo consilio, ut tirones faciliorem aditum *ad adyta latinae musae*, ut Gedike olim scripserat, haberent.

152) Sequor quartam editionem, Parisiis 1813, p. 1 sq. In prima editione, quae sine translatoris nomine diulgata est, accuratius ad uerbum transtulit.

153) Commodum conspectum undecim editionum praebet Pantoia: Übersetzer / Goffaux, unde plurimae etiam digitalizatae inspicere possunt. Confer de cunctis *Robinsonibus* ea quoque quae breuiter scribit Platzdasch in Pantoia hac sede: http://www.pantoia.de/bibliogr_intro.html (ultimum euocauit 18.2.2016).

Saeculum undeuicesimum autem, si in uniuersum quaerimus, huic generi studiorum non admodum fauebat. „Nouus“ ille „humanismus“ q. d. e Germania in Europam totam, immo in Americam et Russiam euagatus¹⁵⁴ a litteris neolatinis anteaetatis potius abhorrebat. Tum Caesar coepit primum locum in tironum lectione sibi uindicare,¹⁵⁵ omnia ad auctores quam maxime classicos spectare debebant.¹⁵⁶ Ergo Lieberkuehnii ceterorumque *Robinsones* immerito apud magistros publicarum scholarum paulatim in obliuionem paene sempiternam ceciderunt.¹⁵⁷ Nec tamen destiterunt uiri eruditissimi nonnulli Latine scribere et uertere, sed incredibili quodam studio suae nationis quisque poetas illustrissimos Latinis Musis dedicauit, ut Germani Goetheum et Schillerum, Angli Shakespeareum et Miltonium transferrent.¹⁵⁸ Vix credideris: Una Thomae Gray notissima *Elegia in coemeterio rustico scripta* (*Elegy Written in a Country Churchyard*), primum edita a. 1751, plus quam quadragies Latine translata est. Sed haec omnia eruditorum ingenuae oblectationi, non puerorum institutioni destinata erant.

De Latinitatis uiuae scriptoribus primis

Necdum tamen actum erat de Latinis fabulis puerilibus. Nam exeunte demum saeculo, cum prae nimio suae cuiusque nationis amore Latinae linguae usus etiam in academiis decresceret, in gymnasiis paene ad nihilum redigeretur, exorti sunt extra hos scholasti-

154) Cf. nunc de tota re van Bommel. Semper utilissimus manet Friedrich Paulsen, *Geschichte des gelehrten Unterrichts* [...], 2 uol., Lipsiae ³1919/1929; cf. etiam Manfred Landfester, *Humanismus und Gesellschaft im 19. Jahrhundert*, Darmstadtii 1988; Fuhrmann 113–216.

155) Cf. Kipf 392 sqq.

156) Praeceptorum fere doctissimus Eckstein 191–196, quia scriptores eligendi essent solum probatissimi (193 „nur classische“), Christianos omnes, etiam aureum Lactantium, si credere fas est, propter dubiam Latinitatem e scholis submouit. Cf. Manfred Fuhrmann, *Caesar oder Erasmus?* (primum 1974), in: M. F., *Cäsar oder Erasmus* [...], Tubingae 1995, 53–77; Fuhrmann 174–178; Kipf 125–127.

157) Neque Eckstein nec Fuhrmann, quorum opiniones inter se ualde dissentiunt, optimum opus Lieberkuehnii, ut de Goffaux taceam, mentione dignum existimauerunt. Cf. nunc tamen van Bommel 137 sq., breuiter etiam Fritsch 32; diligenter Platzdasch, *imprimis* p. 13 sq. Nouam editionem *Robinsonis*, sed compendiarium, curauit Henricus Schiesser, Auennione (Aubanel) s. a. (1976).

158) *Conspectum talium carminum, quae iam digitalizata sunt, praebet* Pantoia hac sede: <http://www.pantoia.de/index.html> (ultimum euocauit 18.2.2016).

cae disciplinae muros uiri, qui eam iterum in statum pristinum linguae communis, in orbe terrarum peruulgatae restituere conarentur. Eorum factio nunc *Latinitatis uiuae* nomine gloriatur, saepius Francogallice *Latin vivant* dicitur.¹⁵⁹ Qui etiam id poscere solent ut lingua non tam e libris ad leges grammaticas quam e consuetudine audiendi et loquendi discatur. (Quod tamen non omnino nouum erat, cum sic docere iam renatarum litterarum aetate multis et saeculo duodeuicesimo philanthropis qui uocabantur placuisset.¹⁶⁰) Velut signifer harum partium fuisse uidetur Carolus Henricus Ulrichs iuris consultus, qui primus in Germania *Vringiorum* (i. e. paederastarum) iura defendere frustra conatus est, tum in Italia nouum periodicum Latinum uarium et iucundum s. t. *Alaudarum* edidit, quod per orbem diulgauit cum hac inscriptione: *Linguae Latinae mira quaedam uis inest ad iungendas nationes*.¹⁶¹ Sed hi quoque lusus ingeniosi magis ad homines doctos quam ad pueros aut adulescentes pertinebant.

Eius uestigia secutus est Arcadius Avellanus (Árkád Mogyoróssy) uir origine Pannonius s. Hungarus, post natione Americanus, qui inde ab anno 1894 *Praeconem Latinum*, periodicum ad Latinam linguam ut uiuam propagandam publicauit – non sane eadem facundia ac festiuitate qua Ulrichsii *Alaudae* cantauerant, sed magis impetuosa quadam acerbitate: *Scopus finisque ‚Praeconis Latini‘ non est [...] ut curiositati philologorum inseruiat, [...] sed ut pugnet, certet, dimicet [...]. ‚Sermonem Latinum uiuum‘ in Ludis Litterariis totius orbis culti restaurare uolumus, uesanam [typ.: vesenam] autem philologiam, e Germania in omnem orbem irreptam [!], in quantum sermonem Latinum supplantat et enecat⁶, euertere,¹⁶² atque metho-*

159) Cf. de tota re Stroh (2001), Stroh (2007) 290–307; Leonhardt in capite „Latin today“ (p. 277–292) has uelut nugae paene omnes omittit (cf. tamen 290 sq.).

160) Multa inuenies apud Fritsch et iam Eckstein; imprimis p. 105 sq., 335–344. Cf. etiam Wilfried Stroh (ed.), Latein sprechen, in: Der altsprachliche Unterricht 28, fasc. 5, 1994. De his rebus omnino tacet Kipf, cf. 335 – qui tamen scripta magistri sui Andreae Fritsch (qui longe aliter sentit), si non laudat aut respicit, at in conspectu librorum religiose enumerat. Nihil magis dolendum est in arte didactica Latina, quae nunc est, quam quod multi (non omnes) qui se in ea artifices credunt, etiam cathedras tenent, *uiuam Latinitatem* illam turpiter contemnunt.

161) K. H. Ulrichs (ed.), *Alaudae*: Eine lateinische Zeitschrift 1889–1895, iter. impr. cum praefatione W. Stroh, Hamburgi 2004; cf. Wolfram Setz (ed.), Karl Heinrich Ulrichs zu Ehren: Materialien zu Leben und Werk, Berolini 2000.

162) Operae pretium est legere quae ad suas opiniones defendendas tam contra Esperantistas quam aduersus „scholasticos mores Latine docendi a Germanis in-

*dum, colloquendo docendi‘ instaurare [...].*¹⁶³ O miseros Ritschlios, Hauptios, Buecheros ceterosque Teutones! Quibus tamen non in mentem uenisset id, quod irrepsisset, nouo participio *irreptum* dicere (nam e uerbo *irripere* id aegre deduxeris). Sed commemorentur Arcadii non pauca uitia sed multa merita! Libros grammaticos ipse scripsit quibus pueri Latine loquendo discerent, quem ad usum etiam optima *Colloquia scholastica* Maturini Corderi denuo edidit notisque auxit.¹⁶⁴ Ac multas ille fabulas romanicas iuuentuti gratas conuertit eo maxime proposito ut, quodcumque hominibus suo tempore in usu esset, id Latine dici posse demonstraret. Qua una re non parum differt ab illis *Robinsonum* interpretibus, qui, etsi interdum de nouarum rerum nominibus dubitabant – ut Lieberkuehn, qui primus fortasse *potum cacaoticum* temptauit – eam necessitatem quasi defendendae linguae Latinae non uidebant, sed id magis contendebant, ut pueris linguam ut iucundam commendarent. Scriptores autem, quos Arcadius conuertit, fuerunt nobilissimi, ut Steuenson, Maupassant, Cahun, Ruskin. Audiamus eam fabulam Roberti Ludouici Steuenson, quae nunc quoque inter nos celeberrima est, uocatur autem *Insula Thesauraria* (*Treasure Island*). Sic Anglice incipit:

SQUIRE TRELAWNEY, Dr. Livesey, and the rest of these gentlemen having asked me to write down the whole particulars about Treasure Island, from the beginning to the end, keeping nothing back but the bearings of the island, and that only because there is still treasure not yet lifted, I take up my pen in the year of grace 17 – and go back to the time when my father kept the Admiral Benbow inn and the brown old seaman with the sabre cut first took up his lodging under our roof.

Nonne haec est periodus ampla et rotunda? Quae sermonem Latini quasi suo natiuo iure poscit:

SPECTABILIS TRELAWNEY, Doctor Livesey, caeterique istorum uirorum, quum me rogassent, ut cuncta et singula de Insula Thesauraria,

uentos“ („made in Germany“) in New York Times 1.8.1908 Anglice scripsit, ad quae aditus patet per Wikipediae lemma „Arcadius Avellanus“. Doctissime contra philologos Germanos disputat in praefatione ad *Insulam Thesaurariam* (1922), quod facile inuenitur per Pantoiam interretialem: Übersetzer / Avellanus.

163) *Praeco Latinus*, uol. 5, Philadelphiae, Oct. 1898, n. 1, p. 9. Aditum dedit mihi [http://babel.hathitrust.org/cgi/pt?id=uc1.\\$b345070;view=1up;seq=15](http://babel.hathitrust.org/cgi/pt?id=uc1.$b345070;view=1up;seq=15) (ubi plura uolumina leguntur; ultimum euocauit 18.2.2016).

164) Exempla dat <http://www.sl.u.edu/colleges/AS/languages/classical/latin/tchmat/pedagogy/crd/crd1.html> (ultimum euocauit 18.2.2016).

a carceribus ad calcem, litteris mandarem, nec quidquam praeter situm insulae celarem, et hoc propterea quod usque iaceret thesaurus inibi, qui necdum erutus esset, sumpsi calamum anno Salutis millesimo septingentesimo –, exordiorque ab eo tempore, quo pater Diuersorium Admiral Benbow tenebat, atque senex nauta, sole ustus, cum cicatrice copidis, primum sedes suas sub tecto nostro fixerat.

Haec, quamquam magnus est uerborum ambitus, satis expedite leuntur eoque utiliora sunt pueris in Latino sermone aliquantum prouectis, quod Arcadius notis Latinis subiunctis difficiliora quaedam explanat: *spectabilis, a carceribus ad calcem*. Tantum ad *copidem* lexica adhibenda sunt. Tamen iam hic uidemus scriptorem non ad eam puritatem linguae niti quam olim Lieberkuehn appetiuerat. Cui certe *ceteri istorum uirorum* (pro *ceteri isti uiri*) non in calamum uenissent, neque aliquem *cum cicatrice copidis* esse, sed *cicatrice insignem* siue *foedatum* aut etiam *turpem* scripsisset. Tantum olim effecerat inueteratus ille usus Latine legendi ac scribendi. Nam eorum, qui nunc Latine scribunt, plerique de elegancia Latini sermonis ne curant quidem, quod tamen Arcadius cum aliqua laude fecit.

Raro autem euenit ut is scriptor propter nimia menda linguae lectoribus eruditis molestior fiat. Cuius rei exemplum inuenitur in *Fabulis diualibus*, quas ipse uocat, quam uocem uix inlelegas nisi Anglice uerteris in „Fairy tales“ („fairies“ enim haud inepte appellat *dias* i. e. diuas). Legimus initio *Pulchritudinis consopitae* (i. e. *Sleeping Beauty* – quae, nisi fallor, potius debuit esse *Formosa puella consopita*):¹⁶⁵

Once upon a time there lived a king and queen who were grieved [...] because they had no children. [...]. At last, however, the queen [...] gave birth to a daughter. A grand christening was held, and all the fairies that could be found in the realm (they numbered seven in all) were invited to be godmothers to the little princess. This was done so that by means of the gifts which each in turn would bestow upon her (in accordance with the fairy custom of those days) the princess might be endowed with every imaginable perfection.

Fuerunt quondam rex et regina, qui quum liberorum orbi essent, ex ea re ingenti dolore afficiebantur. Denique nata illis filiola est, ad quam baptizandam mira pompa regia apparabatur. Quotquot diae in regno reperiri poterant – fuerunt autem earum septem – in maternas Regiae Filiolae accersebantur, ita ut si quaeque dia munuscula baptismalia, ut

165) In Anglica lingua mihi praesto est uersio (e Francogallico) facta ab A. E. Johnson (1921); uersio quam Arcadius sequitur (D. ae [Mrs.] Herbert Strang, 1918) non dissimilis uidetur.

eius aevi consuetudo secum ferebat, ei contulisset, cunctis gratiis dotibusque animi ornata esset.

Notauī lineis infra ductis magistrorum tristium more ea quae normis grammaticae aliquantum repugnant.¹⁶⁶ Quae ideo magis dolemus, quod tota figura et species dictorum prorsus genium linguae Latinae spirat. Quem in multis, qui tales apologos Grimmianos recens transtulerunt, desideras. Bene fecerit, si quis has Arcadii *fabulas diuales* leuiter emendatas denuo ediderit.

De Maximis et Mauritiis maleficis

Habet illa *Latinitas uiua* etiam suos poetas, qui minime spernendi sunt neque eis temere adnumerandi, qui saeculo undeuicesimo otiosi etiam atque etiam Schilleri *Campanam* (*Die Glocke*) aut in metra aut in rhythmos coegerunt. Nam Eruinus Steindl grammaticus et ludimagister Austriacus, cum Gulielmi Busch *Max et Moritz* (*Max und Moritz*, a. 1865) carmen picturis ornatum in rhythmos Latinos transtulit (a. 1925),¹⁶⁷ non aliquem plausum doctorum, sed gaudium puerorum quaerebat. Ego certe memini eum librum fere primum fuisse, quem mihi uix decem annos natus meis sumptibus id est peculio exiguo ipse comparauerim. Tunc tamen eheu aegre tuli quod spe deceptus nimis difficile id opus tirunculo experiebar magistrique mihi ut lectionem differrem suadebant; sed aliquanto post coepi facetias et leporem libelli sentire et admirari:

Ach, was muß man oft von bösen
Kindern hören oder lesen!!
Wie zum Beispiel hier von diesen,
Welche Max und Moritz hießen;
Die, anstatt durch weise Lehren
Sich zum Guten zu bekehren,
Oftmals noch darüber lachten
Und sich heimlich lustig machten.

166) Sic facile emendari possit: *Quotquot diae in regno reperiri poterant – fuerunt autem septem – ut matrinae essent Regiae Filiolae rogabantur, ut, si quaeque dia munuscula baptismalia, ut eius aevi consuetudo ferebat, ei contulisset, cunctis gratiis dotibusque animi ornata esset.*

167) *Max et Moritz: Puerorum facinora scurrilia septem enarrata fabellis* [...], Monachii. Opus postea saepius editum mihi nunc praesto est in editione Turicensi (apud Artemin) 1973, in qua utilissimae notae Germanicae additae sunt.

*Heu puerulos malignos!
Raro, qui laudentur, dignos
inuenimus, at istorum
nota prauitas est morum.
Max et Moritz gemini
bono erant nemini.
Venerari quos debebant,
petulanter eludebant.*

Non accuratissime haec translata sunt, sed sic ut quod facetum in Germanico sit in Latino paene argutius existat. Velut cum Busch suos Max et Moritz ut exempla malorum puerorum proponit, Steindl fere omnes pueros laude indignos esse, in his duobus autem praecipuam quandam *morum prauitatem* esse dicit. Diuinum uero est homoeoteleuton, quo *gemini* cum *nemini* iungitur, sane contra prosodiam classicam, quae in altero uerbo breuem, in altero longam e exigit – sed haec ipsa est rhythmorum grata licentia, in quibus ea homoeoteleuta iucundissima sunt, quae non ex homoeoptotis i. e. e congruentia flexionis existunt (ut sane in *debebant* – *eludebant*). Quod in rhythmis Latinis uitari uix potest, minus etiam in Graecis, quos idem Steindl temptauit:

Φεῦ τῆς παιδῶν πονηρίας!
Αἰτιώμεθ' ἂν κακίας
πλείους, ὥνπερ εἰσὶν οὗτοι
ὡς ἐγνώκαμεν τοιοῦτοι.

Versionem tam Latinam quam Graecam Steindlii superare nonnulli conati sunt, sed successu minore.¹⁶⁸

Audacius tamen idem, sed diuersis modis, attemptauit Hugo Henricus Paoli, professor Florentinus tam Attici iuris quam Latini salis peritus, uir multifariae doctrinae. Qui non modo libro suo *Quomodo Latine scribendum sit* (*Scrivere Latino*) Italos ciues diligenter instituit,¹⁶⁹ sed etiam ipse documenta illustria Camenae re-

168) Cf. Pantoia: Autoren, Busch. Ibi etiam Steindlii versio Graeca (1955–1957) indicatur. Nonnulli ut uenustissimam laudant translationem a Gottholdo Merten (*Max et Moritz: facinora puerilia septem dolis fraudibusque peracta*, Monachii 1932) editam (p. 3): *Heu funestam* [?] *iuuentutem!* / *nullam uideo uirtutem* / *nunc in nostris liberis* [recte de *pueris* scripsit Steindl, nam *liberi* cum respectu parentum dicuntur], / *nullam etiam in his*, / *Max et Moritz vix puniti*, / *poenae cito iam obliti* / *omnes bonos irridebant* / *et ludibrio habebant*. Haec minime mala sunt, sed Steindlii ingenio imparia.

169) Ugo E. P., *Scrivere latino: guida a comporre e a tradurre in lingua latina*, Mediolani / Messinae (1948)²1952.

diuinae edidit. Nam cum in *Maximo et Mauritio*¹⁷⁰ – sic enim appellare eos pueros et quasi togatos reddere maluit – hexametris epicis utitur, ipsa discrepantia, quae inter friuolitatē materiae et grauitatem modorum sentitur, hilariter festiua est:

*Prauis de pueris quam multa audire necesse est!
Quid non Maximus hic, quid non Mauritius audet,
ambo qui spernunt sapienter uerba monentis
omnes ludibrio petulanter habere parati?*

Neque enim licentius ut multi hexametros fingit, sed eos ad seueras leges Vergili et Ouidi adstringit: caesuras obseruat, uerba quattuor aut quinque syllabarum in fine fugit, adiectiua et substantiua diligenter disponit. Audiamus igitur strepitum illum qua Laempeli miseri magistri canna tabacina, quam pueri dolosi *letali puluere* repleuerunt, dirumpitur. Sic Gulielmus Busch:

Rums!! – Da geht die Pfeife los
Mit Getöse, schrecklich groß.
Kaffetopf und Wasserglas,
Tobaksdose, Tintenfaß,
Ofen, Tisch und Sorgensitz –
Alles fliegt im Pulverblitz.

Id Buschiana simplicitate expressit Steindl:

*Fumum ut flet*¹⁷¹, affert facem;
fragor fit, qui turbat pacem.
*Gustatorium*¹⁷² percissum
quoquouersus est diffisum
uasque plenum atramenti,
fornax, sella hic sedenti,
mensa atque arcula
rupta sunt in frustula.

Quanto copiosius et magnificentius Paoli!

*Protinus horrifico subsultant cuncta fragore;
ipsum infumibulum*¹⁷³ disploeditur omnia laedens,
raditur et paries fragmentis undique iactis.
Pocula, uas Arabum liquor unde effunditur ater,

170) *Maximi et Mauriti malefacta Latinis uersibus enarrata*, Florentiae 1945 (1959, 1960).

171) Sc. a *flando*, non a *flendo*! Busch antea: „zündet er sein Pfeifchen an“.

172) Exspectes hic fistulam tabacinam primam dici; nam *gustatorium* est lanx, in qua gustatio apportatur.

173) Vox a Paolio feliciter inuenta: *infundibulum* nouit iam Cato.

*apta et puluereo seruando theca tabaco,
atramenta tegens crystallum, scamna, caminus,
omnia dissiliunt sescenta in fragmina rupta;
densis aduoluit tenebris conclaui fumus.*

Hic quidem meo iudicio Steindl paululum languere uidetur, si quidem Paolium compares. Qui etiam interiectionem illam *Rums!* frequentia litterae *r* scite imitatus est: *Protinus horrifico ... fragore*. Tamen si totas eorum uersiones spectas, difficile dictu est, Italicis metris an Austriacis rhythmis palmam deferre uelis. Vterque suo genere excellit, uterque dignus, qui nunc quoque a pueris puellis-que cum uoluptate legatur.

De Petro Ericio et Pinoculo Latinis

Atque idem Paoli etiam *Petrum Ericium* (Germanice *Struwelpeter*) Henrici Hoffmann (1845)¹⁷⁴ Latinis metris donauit (a. 1960),¹⁷⁵ quem tamen antecesserant Gulielmus Henricus Denham (W. H. D.) Rouse (a. 1934) et Eduardus Bornemann (a. 1956) uersionibus rhythmicis. Ac Rouse ut uix alius inter Anglos Latine docuisse uidetur in gymnasio secundum praecepta illa *Latinitatis uiuae*, quae iam commemorauimus. Cui proposito quodam modo seruit etiam *The Latin Struwelpeter*, quem suis discipulis, cum iam rude donatus esset, dedicauit.¹⁷⁶ In quo non ipsos rhythmos Hoffmanni auctoris Germani sequitur, sed haud inficete sibi uersus goliardos mediaeuales eligit. Sed proponatur primum exemplum Germanicum (*Daumenlutscher*):

174) Vt in *Max et Moritz* ita in hoc *Petro* mali mores puerorum cum risu uituperantur; sed quae in illis nocentium facinora erant, hic potius malae consuetudinis delicta sunt. Cui generi quodammodo antecesserat Frederici Dedekind *Grobianus*, 1549, carmen didacticum ludicrum, non narratiuum.

175) Magis adultis scripta sunt eius plurima *Carmina*, Florentiae 1961 (ab amicis in 362 paginis collecta); pueris aptiores *Versus diabolici aliique lusus*, Florentiae 1962. Apud nostros Paoli innotuit magis eis libris quos de uita cottidiana tam Romanorum quam Graecorum scripsit.

176) Londini / Glascoviae 1934. Dedicatio sic incipit et desinit: *Persicis / quot sunt quot fuerunt / ludi Persici memores [...] Orbilius / d.d.d.* Fuerat enim per multos annos rector *Scholae Persicae (Perse School)* Cantabrigiensis. Notior in re publica litteraria factus est eo quod inter editores Bibliothecae Loebianae fuit.

„Konrad!“ sprach die Frau Mama,
 „Ich geh’ aus und du bleibst da.
 Sei hübsch ordentlich und fromm,
 Bis nach Haus ich wieder komm’.
 Und vor allem, Konrad, hör’!
 Lutsche nicht am Daumen mehr;
 Denn der Schneider mit der Scher’
 Kommt sonst ganz geschwind daher,
 Und die Daumen schneidet er
 Ab, als ob Papier es wär’.“

Maiorem pompam et dignitatem desiderant Rousei uersus longiores, ad quo explendos hic illic nonnihil addendum erat:

*Aliquando filium mater allocuta,
 ‘Foras eo, fili mi, cuncta domi tuta:
 Aufer tu quisquillas, aufer istas nugas:
 Moneo praecipue pollicem ne sugas.
 Nam si sugunt pollices pueri profecto
 sartor vestiarius praesto subest tecto:
 Dumque uisum subitum pueri mirantur,
 forcipem grandissimam stringit properanter,
 amputatque pollices, qui decreto fati
 numquam crescent iterum semel amputati.’*

Nonne lepide Rouse matrem Conradi etiam philosophantem in fine facit? Fidelius exemplar Germanicum sequitur Bornemann,¹⁷⁷ qui puerum illum non *Sugipollicem*, ut Rouse, sed Latinius inuerso ordine *Pollicisugam* appellat:¹⁷⁸

*Mater suo Conrado:
 ‘Remanes, dum exeo.
 Probus sis absente me!
 Sed imprimis hortor te:
 Cave rursus pollicem
 sugas, aut huc forcipem
 tractans sartor est uenturus
 ilicoque desecturus
 tuos pollices – securus,¹⁷⁹
 quasi sit papyrus purus.’*

177) *Petrulus hirrutus* „Der Struwwelpeter“ [...] uersiculos in sermonem Latinum transtulit Eduardus Bornemann, Francofurti ad Moenum 1956.

178) Sic apud Plinium Maiorem et Celsum *sanguisuga*; similes sunt *lucifuga*, *saxifraga*, cf. etiam *signifer* et mille alia.

179) In adnotationibus utilissimis, quas adiungit, hanc uocem (fortasse non aptissimam) sic explicat: „unbekümmert (fast rücksichtslos)“.

Optime nisi quod in ultimo uerbo papyrus non *purus*, sed mutato genere *pura* esse debuit. Ceterum haec uersio paene aemulatur festiuium illud Steindlii iocandi genus. Quae uersibus Germanicis tam ad uerbum ac paene syllabas similis est, ut Curtius Henssenberg musicus cantico suo *Der Struwwelpeter*, pueris cum organis canendo,¹⁸⁰ uerba Bornemanniana uix mutata sic subiecit, ut idem carmen, prout liberet, aut Germanice aut Latine decantari posset.

Aliquanto inferior illo Petrus Wiesmann est,¹⁸¹ uelut in his:

*Audi tu, Conrade, imprimis:
pollices ne sugas nimis!
Nam cum forfice uenturum
pollicesque resecturum
uestificum, ut papyrus,
tibi dico – non est mirum!*

Donandum est hic quoque mediaeuali consuetudini quod *imprimis* et *nimis* inter se copulantur (quod tamen Bornemann miro studio uitauit!); sed eo magis fugienda erat synalipha parum mediaeualis *Conrad(e) imprimis*. Nec ualde placet illud superfluum *non est mirum!*, etiam minus quod accentus qui debuit esse *uestificum* rhythmici causa deprauatur in *uestificum*. Sed hoc loco Wiesmann non unus peccat. Multi noui poetae rhythmici id uitium accentus uiolati e metricis male pronuntiatis¹⁸² etiam in rhythmica transtu-

180) Kurt Henssenberg, *Der Struwwelpeter*, Kantate [...] singbar mit dem deutschen Originaltext und der lateinischen Übersetzung von Eduard Bornemann, Klavierauszug, Moguntiacy s. a. (c. 1951, postea 1979). Bornemann uersionem Henssenberg tam ingeniosam esse quam ipsum Hoffmanni carmen iudicat.

181) *Petrus Hirsutus uel fabulae iocosae lepidis imagunculis auctae* [...], Sanctogalli 1954; iterum edidit Walter Sauer, Stutgardiae 1995 (cum epilogo utili). Ipse ego olim hoc genere ludens subiunxi uersioni rhythmicae (*Mater dixerat Conrado*) unam epicam (*Iam prope tempus erat*) et duas lyricas, unam Horatiano more, alteram ad Catulli numeros factam: *Conradus pollicilingus*, in: Jürgen Leonhardt / Georg Ott (edd.), Wilfried Stroh, *Apocrypha: entlegene Schriften*, Stutgardiae 2000, 265–268. Commemoretur etiam Franciscus Schlosser, qui in libello cui titulus *Petrulus grammaticus – Struwwelpeter goes grammar* (Bambergae 2011) singulos cantus carminis singulis grammaticae partibus adaptat, uelut prologum imperatuo, Petrum indicatuo, Conradum futuro ... Sic cogitur pollicum cladem non narrare, sed uaticinari: *Ianua tum recludetur. / Vestifex conspicietur* etc. Nouas addit picturas a se ipso factas, quibus non inficetas sententiolas adscribit.

182) Male in scholis iam per aliquot saecula accentus naturalis artificiali ictu q.d. deletur, ut audias *Arma uirumque canó Troiaé* ...; de origine huius consuetudinis fere a. 1600 natae cf. Wilfried Stroh, *Der deutsche Vers und die Lateinschule*, *Antike und Abendland* 25, 1979, 1–19.

lerunt, ut in notissimo illo cantico cereuisiis nimis apto, quod incipit a *Gaudeamus igitur*, ubi pravi accentus per modos musicos etiam uiolentius auribus et, si dis placet, mentibus inculcantur:

*Vbi sunt qui ante nos
in mundo fuere?
Vadite ad superos,
tránsité in inferos.
Vbi iam fuere.*¹⁸³

Pessime. Nam ipsi poetae medieuales, dum dimensiones syllabarum negligunt, eo attentius (exceptis uersuum initiis) operam dare solebant accentibus. Wiesmann uero saepe etiam in exeunte uersu syllabas graues acuit, quod tolerabile non est:

*Earum lacrimae fluúnt,
ut riuuli in pratis sunt.
Demanat aqua crinibus
in faciem, ex uestibus,
de bracchiis. Puér frigét,
illius omnes miseret.*

Non magis friget puer quam ista poesis! Sed quae in Wiesmanno peccata pauca erant, ea quasi in nouum genus artis transformauit nuper mulier Bataua, Marlena (Marleen) Mulder (accentuum signa ab ipsa addita sunt):¹⁸⁴

*Quodám dié patér Floccús
dixít quis ít mecúm
ín arénas ét litús
et in maré magnúm.*

Sed ab idiotis redeamus ad artifices. Hugo Henricus Paoli quidem artificium suum maxime demonstraui in *Pinoculo Latino* (a. 1962), id est in uersione eius fabellae quam Carolus Collodi *Pinocchio* (a. 1883) inscripserat. Quis umquam tanta arte ac scientia nouam fabulam Latine expressit! Tempora renatarum litterarum et ipsa renata credideris. Initium lepidissimae huius fabulae a consuetudine prooemiandi antiqua longe abest; tamen uertente Hugone Enrico nil Latinius uidetur (cap. 1):

183) Hoc quia sensu caret, nonnulli cantant: ... *hos si uis uidere*. Sed fortasse sic interpungendum est: *Vbi? Iam fuere* aut *Vbi iam? Fuere*.

184) Dick Bruna: *Miffa ad mare*. Vertaald in het Latijn door Marleen Mulder, Leouardiae 2004.

C'era una volta ... – Un re! diranno subito i miei piccoli lettori. – No, ragazzi, avete sbagliato. C'era una volta un pezzo di legno. Non era un legno di lusso, ma un semplice pezzo da catasta, di quelli che d'inverno si mettono nelle stufe e nei caminetti per accendere il fuoco e per riscaldare le stanze.¹⁸⁵

*Fuisse quondam aiunt ... – 'Regem', pueros qui haec legunt statim dicturos suspicor. – Errauistis, pueri; non rex fuit illud, sed caesum quoddam lignum nullius pretii, qualia ea sunt quae ex materia in struem congesta hieme in domesticis caminos conicere solemus, ut ignis suscitetur uel uapor per aedium conclauia diffundatur.*¹⁸⁶

Quis tam bene Latine scit, ut hinc non aliquid addiscat? Quis tam morosus, ut non subrideat? Pauci puto post Erasmus tam pure lucideque scripserunt. Audiamus etiam primam Pinoculi in ligno illo latentis uocem:

*Nec mora, acutam securim adripuit (sc. Magister Cerasum), ut dempto cortice lignum dolando poliret. Cum uero primum ictum illaturus esset, brachio in altum sublato, immobilis suspensusque haesit; audierat enim tenuem quandam subtilemque uocem, suppliciter orantem: 'Ne me grauius, precor, percusseris!' Quo stupore optimus ille senex correptus sit facile conicias; adtonitos oculos per totam tabernam circumferens concoscere conabatur unde uocula illa emissa esset, at neminem uidit.*¹⁸⁷

Nimirum hoc est illud attenuatum genus dicendi quod in narrationibus Cicero et Quintilianus commendant: omnia dicuntur uerbis maxime propriis atque elegantibus, nil translatum, nil arcessitum, nil, quod maximum est, barbarum.

De urso Lenardi et Latinitate bestiali

Sed quid ego mente captus Steindlios et Paolios uiros nimis obscuros laudo? His cunctis facile palmam interpretum extorsit uir paene super aethera notus, certe in omnibus ephemeridibus, periodicis, stationibus radiophonicis, nunc etiam in tela interretiali laudibus celebratus. Dico Alexandrum Lenardum, qui ex Anglico urso, quem Alanus Alexander Milne (a. 1926) excogitauerat, *Winnie the Pooh* a. 1960 fecit Latinum *Winnie illum Pu* – cuius bestiolae mox plus centum milia exemplorum diuendita erant, ut etiam in

185) Carlo Collodi, *Le Avventure di Pinocchio*, noua editio, Florentiae 1902, 5.

186) Ugo Enrico Paoli (transl.), *Pinoculus Latinus*, Turici / Monachii 1983, 5.

187) Paoli (ut n. 186) 6.

indices librorum optime uenditorum subreperit.¹⁸⁸ Quomodo factum? Mirandum est. Neque enim elegantissime scriptus nec semper facillimus lectu est ille *Winnie*, cuius prima uerba sine pictura adiecta uix intellexeris. Nam sic capitulum primum incipit (cap. 1):¹⁸⁹

Ecce Eduardus ursus scalis nunc tump-tump-tump occipite gradus pulsante post Christophorum Robinum descendens. Est quod sciat unus et solus modus gradibus descendendi, nonnumquam autem sentit, etiam alterum modum exstare, dummodo pulsationibus desinere¹⁹⁰ et de eo modo meditari possit. Deinde censet alios modos non esse. En, nunc ipse in imo est, uobis ostentari¹⁹¹ paratus, Winnie ille Pu.

Sed melius erit adhibere librum Anglicum quam diu expendere quid sit *pulsationibus desinere*.¹⁹²

Here is Edward Bear, coming downstairs now, bump, bump, bump, on the back of his head, behind Christopher Robin. It is, as far as he knows, the only way of coming downstairs, but sometimes he feels that there really is another way, if only he could stop bumping for a moment and think of it. And then he feels that perhaps there isn't. Anyhow, here he is at the bottom, and ready to be introduced to you. Winnie-the-Pooh.

Obscuritas illa non tam ex eo oritur quod Lenard contra Donatum peccet – nam ne seuerus quidem grammaticus multa hic digna censura notauerit¹⁹³ –, sed quod nimis seruiliter uerbis Anglicis ad-

188) De gloria huius libri nonnihil inuenies apud Edwin McDowell, „Winnie‘ ille Pu nearly XXV years later, New York Times 18.11.1984, nunc hic: <http://www.nytimes.com/1984/11/18/books/winnie-ille-pu-nearly-xxv-years-later.html> (ultimum euocauit 18.2.2016). Multo diligentius de scriptore et opere egit David E. Scherman, Roman holiday for a bashful bear named Winnie: Latin version of children’s classic is the surprise bestseller 1961, Life 21.4.1961, quod inuenitur sub Google Books.

189) Sequor hanc editionem: A. A. Milnei *Winnie ille Pu* [...] in *Latinum conuersus auctore Alexandro Lenardo*, Londonii 1975, 1.

190) In Ciceronis codicibus legimus (ac. 2,80): *Desine, quaeso, communibus locis* – sed quoniam id singulare est in Latinis litteris, aut ellipsis uocis *uti* statuenda aut *Desiste* legendum uidetur.

191) *Paratus* cum infinitiuo passiuo non coniungitur.

192) Sequor: Alan A. Milne, *Winnie-the-Pooh*, Londini 1987.

193) Si ipse censor esse uelim, sic fere leuiter emendauerim: *Ecce Eduardus ursus, qui per scalas Christophorum Robinum secutus ita descendit, ut eius occiput – put – put – put singulos gradus pulset. Hunc enim unum didicit modum per gradus descendendi, quamquam interdum id etiam alia ratione fieri posse suspicatur – dummodo aliquando ab illa pulsatione capitis liberari et de hac re secum cogitare sibi liceat. Deinde statuit alios modos fortasse nullos esse. En iam ad imum peruenit, ut ostentari uobis possit: Winnie ille Pu.*

haerens Latinae linguae consuetudinem deserit. C. Arrius Nurus quidem (Harry C. Schnur), olim magister meus poeticus, lectione Lenardi paene ad nauseam coactus exclamauit: „Winnie ille? Pu!“ Tamen non defuerunt qui hoc opusculum suauius quam omnia Caesaris, Ciceronis, Vergili scripta putarent. Vnde igitur haec tanta admiratio eius libri, qui ad Auellanos, ne dicam Lieberkuehnios uix adspiret? Dico quid sentiam. Prima causa in eo posita est quod Latinus est; nam quo magis in orbe terrarum notitia linguae Latinae minuitur, eo magis crescit admiratio omnium quae Latina sunt aut uidentur. Sequitur quod fabula ipsa tam puerilis est, ut uulgus eam linguae Caesaris et Ciceronis tam excelsae ac sublimi accommodari posse miretur. Tertium est quod uersio ex Anglico exemplari omnibus noto prouenit: Nam hoc saeculo Anglica fere ubique leguntur, Italica, Germanica, Francogallica multo minus. Quare uidemus successores quoque Lenardi plurimum Anglicis libris operam dedisse.

Sed quid multa? E successu huius *Winnie* plurimi grammatici plus minus docti didicerunt quantus campus hic etiam mediocribus aut nullis ingeniis pateret. Nam inde ab illo tempore quo Lenard suum ursum emisit fere singulis annis singuli libri edebantur, quibus aliquae fabulae pueriles plerumque Anglico sermone compositae in Latinum translatae erant, non omnes pessime, plurimae tamen Lenardo peius – nihil certe, quod Paolio se adaequaret.¹⁹⁴ Quis non audiuit saltem de *Mago mirabili in Oz*¹⁹⁵ a multis lauda-

194) Paucissima nomino. De ceteris consulatur praesertim Pantoia interretialis, deinde hae paginae interretiales: A short bibliography of modern children's books in Latin (<http://latin4everyone.wordpress.com/2009/03/15/a-short-bibliography-of-modern-childrens-books-in-latin/>; usque ad 2006 [ultimum euocauit 18.2.2016]); Libri Latine redditi: http://la.wikipedia.org/wiki/Libri_Latine_redditi (ultimum euocauit 18.2.2016); List of Latin translations of modern literature: http://en.wikipedia.org/wiki/List_of_Latin_translations_of_modern_literature (ultimum euocauit 18.2.2016). Multa praebet etiam Contemporary Latin: http://la.wikipedia.org/wiki/Libri_Latine_redditi (ultimum euocauit 18.2.2016), quae pagina omnem Latinitatem uiuam q. d. complecti conatur.

195) *Scriptit L. Frank Baum [...], in linguam Latinam conuerterunt C. J. Hinke et George Van Buren, Editio Princeps, Berkeleii 1987. Sufficit initium exscribere: In medijs magnis campis Kansae, cum Patruo Henerico, qui agricola erat, et Amita Em, quae erat uxor agricolae, habitabat. Casa eorum parua erat, nam lignum quo extracta erat multa milia passuum apportandum erat. [...] Cum Amita Em illuc ad uiuendum uenit, uxor erat iuuenilis et bella. Fabula Latina una cum iudiciis uariorum inuenitur hic: <http://latin4everyone.wordpress.com/2009/03/15/the-classical-wizard-magus-mirabilis-in-oz/> (ultimum euocauit 18.2.2016).*

to, de *Alicia in terra mirabili*,¹⁹⁶ de *Harrio Potter*,¹⁹⁷ de *Regulo (Le petit prince)*.¹⁹⁸ Nec de singulis nunc accuratius iudicare uolo nec de Germanis collegis meis, qui *Fabulas Grimmianas (Grimms Märchen)* illas, quas Auellanus, ut meministis, *diuales* appellauit, tironibus Latinis obtulerunt.¹⁹⁹ Ipsi hi interpretes non negauerint se elegantiam aliquam in dicendo non appetere, contenti, si peccata grauissima contra Donatum uitauerint et a lectoribus iuuenilibus aliquatenus intellegi possint.²⁰⁰ Num hi libri omnes legantur,

196) *Latine redditus ab eius fautore [...] Clive Harcourt Carruthers liber notissimus [...]*, Londini 1964. Sic incipit: *Aliciam iam incipiebat plurimum taedere iuxta sororem suam in ripa sedere nec quidquam habere quod faceret*. Totam fabulam praebet http://www.intratext.com/IXT/LAT0697/_P1.HTM (ultimum euocauit 18.2.2016).

197) *Harrius Potter et philosophi lapis*. Translated by Peter Needham, Neo Eboraci / Londini 2003 (quem librum ducem plures *Harrii* secuti sunt). Sic incipit: *Dominus et Domina Dursley, qui uiuebant in aedibus Gestationis Ligustrorum numero quattuor signatis, non sine superbia dicebant se ratione ordinaria uiuendi uti neque se paenitere illius rationis*. Pauci eorum qui talia scribunt norunt *uiuere* non eodem modo adhiberi ac „to live“. Hic dicendum erat ... *qui habitabant*. 39 lectorum iudicia magnam partem admirationis plena praebet *Amazon*.

198) Antonii de Saint-Exupéry liber nobilissimus translatus est primum ab Augusto Haury (Lutetiae Parisiorum 1961, Sancti-Didaci in California [Harcourt] 2001), tum ab Alexandro Winkler, Manhemii 2010. Qui non deterruerunt Franciscum Schlosser translatores indefessum, quominus nuper (Stuttgartiae 2015) regulum illum ut *Principulum* misere uexaret.

199) Fecerunt id Sigrides Albert (1988), Rochus Habitzky (2003), Nicolaus Groß (2004/2007), quorum uersiones sine negotio inuenies in Pantoia: Autoren / Grimm. Grossius, qui propter S. Hieronymum Bibliae translatores sibi leonem ut artis insigne elegit (cf. <http://www.leolatinus.com>), suas fabulas etiam in discis compactis diulgat. Sermo eius mendis grauioribus caret, sed Teutonem redolet. Praeterea fere uiginti libros maiores Latine transtulit; sub nomine falso *Diogenis Anoedei* scripsisse uidetur etiam duas fabulas romanicas spurcas magis quam lasciuas (quarum specimen olim in pagina interretialia legebatur, nunc ibi deletum uidetur).

200) Pessimum exemplum nuper exhibuit periodicum *Ephemeris* (17.3.2014, hac sede <http://www.alcuinus.net/ephemeris/superbia.php?id=224>, ultimum euocauit 18.2.2016), ubi Thomasus (!) Cotton quidam sub titulo *Superbia et odium* Latine uertere auream fabulam Ioannae Austen *Pride and Prejudice* conatur, quae sic incipit: „It is a truth universally acknowledged, that a single man in possession of a good fortune must be in want of a wife.“ Vnde Thomasus: *Verum est ubique agnotum quo plus caelebs locuples uxore careat*. Hic, quod pauci ante, perfecit, ut fere nullum uerbum Latinum esset. – Seuera iudicia lata sunt de fabula Tolkienii quae inscribitur *Hobbitus ille* translata a Marco Walker, quae bene collegit Amazon: <http://www.amazon.com/Hobbitus-Ille-The-Latin-Hobbit/dp/0007445210> (ultimum euocauit 18.2.2016). Lege nunc etiam quae de noua Latinitate culinaria scripsit Johannes Fuchs, *Viuitne lingua Latina? – Viuit, sed non uigere uidetur: De libris puerilibus recenter editis*, Forum Classicum 4/2015, 252.

ualde dubito, emuntur tamen in usum puerorum a parentibus, auis, abauis, amitis, magis fortasse ostentationis quam delectationis aut institutionis Latinae causa. In gymnasia intrare, ut olim *Robinson*, quod sciam, non solent. In bibliothecis publicis certe tam rari inueniuntur, ut, si quis cognoscere uelit, sua heu sibi pecunia apud bibliopolas, ubi hi libri frequentiores sunt, emere debeat. Bene igitur euenit, quod nonnulla nunc tela interretialis suppeditat.

De Asterige Gallo et Latino

Alteram aream aperuit abhinc fere XL annos Rubricastellanus (uulgo Karl-Heinz Graf von Rothenburg),²⁰¹ cum simili successu Asterigem Latine garrientem induxit. *Asterix Gallus* primi uoluminis titulus erat, quem plus quam XX noui *Asteriges* subsecuti sunt. Non plane immerito! Nam Rubricastellanus cottidiani sermonis Romani admodum peritus est, ut non semper necesse habeat noua et insolita sibi effingere, ubi uetera et tradita in promptu sunt. Legent igitur tirones personas tam Gallas quam Romanas talia inter se loquentes: *tacedum* aut *etiam taces*, item *agedum – cedo mihi – saluus sis – ain tu? – facessite hinc – paucis te uolo . . .*²⁰² Nonne iuuet sermonem cum istis conserere? Nec semper breuioribus sententiolis inter se contendunt; nam Iulius Caesar in fine *Asterigis Galli* uelut deus ex machina subito manifestus ambitu uerborum suae maiestati accommodato utitur (I, p. 47): *Quae est ea in castris coorta perturbatio, quae praesidium impediuit, quominus honoribus me afficerent dignitati meae debitis?* (ubi praeter hyperbaton etiam clausula dicretica laudanda est). Cui mox Asterix paene aequa eloquentia respondet centurionemque C. Bonum ut causam tumultus criminatur: *Gaius Bonus cupidissimus erat praecepti [sc. culinarii] comparandi, quo coquere posset potionem magicam, quae se ipsum inuictum redderet atque sibi uiam ad imperium occupandum patefaceret* (I, p. 48). Ad quae Caesar stupens breuissime: *Attat!* Non hercle potuit melius.

201) Eius paginam interretialem inspicere non paenitebit: <http://www.rubricastellanus.de/index.html> (ultimum euocauit 18.2.2016).

202) Exempla hic sumo e primis libris, qui sunt *Asterix Gallus* (composuit René Goscinny, pinxit Albert Uderzo, in Latinum conuertit Rubricastellanus, Stuttgartiae 1973 et saepe), qui denotatur numero I, et *Falx aurea* (item 1975) notata numero II; etiam posteriores nonnullos inspexi, non sine gaudio.

Accedit quod Rubricastellanus uir plenus leporis, quem in non paucis *Latinitati uiuae* deditis desideramus, multa e notis classicorum locis et prouerbiis admiscet, ut *Sursum corda* (I, p. 34) – *Aut Caesar aut nihil* (I, p. 30) – *Vanitas uanitatum* (I, p. 36) ... Sic fit ut interdum *Asterix* Latinus etiam magis quam Francogallus aut Germanus risum moueat. Ibi: *Maintenant c'est fermé*, hic: *Roma locuta, taberna finita* (II, p. 26). Item libenter legimus *Cassus uenter non pugnat libenter* (II, p. 41) aut *Errare Romanum est* (I, p. 13), et in fine fabulae Cantorigis carmen conuiuiale *Gaudeamus igitur – est finitus cursus* (I, p. 48). Vbi notandum est Rubricastellanum ipsum suis discipulis leges grammaticas siue paradigmata q.d. inculcare ad cantum fidium breuiorum (i. e. uiolinae), quas ipse apposite modulatur. In libris autem interdum etiam mendis grammaticis iocose utitur, ut cum militibus Germanis i. e. ualde barbaris haec tribuit: *audite ad! uenimus re!* (i. e. „Hört zu! Wir kommen zurück!“), ubi, ne quis tironum perturbetur, seure adnotat: *Apparet magistros eorum non optimos fuisse* (I, p. 5).

Velles tamen interdum religiosius linguae puritatem seruaret. Quid quod ubique absolute dicitur *Reuera!* pro *Vraiment!*, quod legimus *an non?* aut *nonne?* pro *n'est-ce pas?* (Quod tamen commune uitium est multorum qui nunc Latine scribunt.) Nonnulla consulto peccare uidetur, ut cum uocatiuo, quotiens quis nobiliorum alloquitur, fere semper interiectio *o* praepositur (ut in quibusdam fabulis cinematicis Romanis): *Tibi gratias ago, o Druida* (I, p. 8). Haud male tamen *O asine!* (I, p. 40) (nam *o* exclamantis est). Ac nimis saepe Francogallum immo potius Germanum audire nobis uidemur: *Insisto consilium meum* (II, p. 7) – *Non resistemus nisi specie* (I, p. 13) – *Mentem amittere incipio* (I, p. 34) – *In eos Gallos exemplum statuamus* (I, p. 39) – *Remedium contra neruos infirmos commendauit* (I, p. 34) – *Id eis documento erit* (I, p. 38) – *Superhomo sum* (I, p. 38) ... „Sed libet ad gaudium puerorum licentius iocari.“ Cedo, libenter concedo, sed isti ioci barbare concepti Latinis et ueris facetiis salsiores non sunt. Valde doleo quod in periodicis scholasticis desunt momi uel critici qui talia reprehendant, ut interpres cautior esse cogatur. Sed ex eis qui Latine bene sciunt quotus quisque ad *Asterigem* animum attendere dignatur?²⁰³ Iuuat magis

203) Paucissimis uerbis *Asterigem* (cuius tamen innumera exempla uendita et in scholis celebrata sunt) morose absoluit Kipf 438 n. 503. De *Asterige Gallo* iudicauit seure, sed humaniter A. H. (Auguste Haury, puto), *Latomus* 33, 1974, 758 sq.

sescentessimam editionem *Aeneidis* elucubrare aut recensendo aestimare. Sic itur ad astra.

De caedibus stuprisque nubeculatis

Non nulla sane uenia danda est Rubricastellano, si plurima eorum comparaueris, qui post *Asterigem* uertendis talibus *fabulis nubeculatis* – sic enim plurimi uocant²⁰⁴ pro *comicis*, quod ambiguum esset – operam dederunt. Nolo multa enumerare, inter quae magis propter elocutionem quam argumentum fortasse eminet *Haegar terribilis*;²⁰⁵ ceteri fere omnes *Asterige* lepido tamen et urbano inferiore uidentur.²⁰⁶ Vnum exemplum recens – non iuuat, sed magis taedet pigetque proferre. Nuper mihi amica quaedam dono dedit fabulam huius generis, splendide ornatam, uarie coloratam. Titulus autem est *Murex et aurum* (translatum e *La pourpre et l'or*).²⁰⁷ Agitur autem de eis quae imperatori Claudio Agrippina machinante mortem attulerunt. Vnde ab ipso in amphitheatro sedente initium sumitur: *Romae, mense Maio octingentesimi octauo anni V(rbis) C(onditae), a prima luce gladiatoribus Claudius princeps adest. Ardente uehementer sole et dimisso meridie ad prandium populo, Claudius uero persedit*. Haud pessime haec, quoniam partim e Sue-

Ego quid sentirem de *Falce aurea* scripsi in: Apocrypha (ut n. 181) 243–244 (primum 1976).

204) Id quidem iucunde et satis Latine, quamquam Vaticanus (Carolus Egger [ed.], Neues Lateinlexikon, Darmstadii 1998) *libellum pictographicum* (e Latino et Graeco compositum) mauult. – De toto genere cf. Dietrich Grünwald, *Bildgeschichte / Comic*, KJLex pars 5, suppl. 39 (2010) 1–37, qui tamen Germanicae linguae fines uix transgreditur, Latina non respicit.

205) Dik Browne, *Haegar terribilis, miles sine timore utiisque*. Ins Lateinische übersetzt von Karl Ulrichs [retractante Manfredo Kraus], Monachii 1986.

206) Catalogum fabularum nubecularum exhibet: List of Latin translations of modern literature (uide supra n. 194, ubi plura), pars II: Comic books. Multas tales fabulas edidit European Language Institute (Recanati in Italia), nunc ueneunt etiam in Germania (Stuttgartiae apud Klett aut Berolini apud Ehapa). Vnde mihi innotuit *Donaldus Anas et nox Saraceni* (1983), quam e domo Disneiana exortam Latine uertit Iosephus M(aria) Mir Latinitati uiuae deditus, non sine meritis (cf. eius *Noua uerba Latina*, Barcinone 1970): Scribit hic quidem emendate, sed uix facete.

207) Philippe Delaby / Jean Dufaux, *Murex et aurum. Liber I: Murena*. In *Latinum conuerterunt Claude Aziza et Cathy Rousset*, s.l. (in domo Dargaud, Benelux) s. a. (2009, 2013).

tonio sumpta sunt.²⁰⁸ Vellem tamen scriptor more Romano annum ablatiuo *ab urbe condita* indicauisset, et illud *uero*, quod moleste abundat, deleuisset. Quae autem sequitur pictura Claudio ipso crudelior est. Letalibus ictibus tria paria nudorum inter se trucidant ubique ebulliente sanguine – quod a sollemni illo more gladiatorum Romanorum longissime abest (usitatius sane in spectaculis cinematicis).

At ubi Agrippina uxor Claudii, Neronis mater, in scaenam uenit, mulier pessima, peius fit etiam genus dicendi. Eam Palla libertus suspiciose admonet: (*Claudius*) *in sese* [recte: *sibi*] *irascitur quod suum filium* (sc. Britannicum) *neglexerit, tuum [tuo] fauerit. Itaque, ait, meos [meis] mandauit ut inquirerent.* Sed Claudium interea uidemus ludentem cum Lollia amica sua uenustissime nudata. Agrippina autem morti mariti iam imminens uires alicuius ueneni in seruo ad bibendum coacto experitur, hoc euentu: *Non iam mouet* [*mouetur* aut *se mouet*²⁰⁹]. *Mortuus est. Venenum tuum tam acerbe* [*acerbum*, melius: *efficax* aut *uehemens*] *celereque est ut scelus indicet.* Neque ipsa, qua est libidine, sine amatore manet, uidelicet praefecto cohortis praetorianae, qui ei pollicetur: *Tu ipsa castris praetoriis filium purpuratum praebebis* [...], *sicut nouo principi [nouum principem] decet.* Cui illa iam Veneris quam consilii cupidior colloquium amputat: *Consilium tuum sequar. Nunc autem festinanter age quod agis,*²¹⁰ *nam morari mihi [me] non iuuat.* In concubitus praeludio quis curet casus grammaticos!

Sed iam ad finem tragoedia uergit. Claudius esuriens nesciusque ueneni boletorum cupidus: *Cenae morem consequamur*, ait, *qui nos nullam temperantiam nunc habere iubet* [*qui nunc nos temperare nobis uetat*]. Mox igitur ei moriendum est – sed *numquam illius testamentum patefacietur* [*patefiet*, rectius: *resignabitur*]. Britannico igitur *nulla spes* [...] *relicta est successionis petendae* [*succedendi*], *ut iure uindicauisset* [*quod / quam iure sibi uindicare potuit?*]. Nero autem *foribus Palatii diductis* [= Tac. ann. 12,69] *nouus Romae dominus egreditur: Statim praetoriae cohortes illum*

208) Suet. Claud. 34 (non „XXXIII“, ut adnotatum est): *Bestiaris meridianisque adeo delectabatur, ut [...] meridie dimisso ad prandium populo persederet.*

209) *Mouere pro moueri* dicere licet, ubi de mutatione loci agitur, ut *classis* siue *exercitus mouet*.

210) Nescio unde hoc prouerbum ueniat, quod nonnulli Iesuitis tribuunt; sed hic in summa libidine certe idoneum erat.

[illi] *immoderate acclamare*. Maligne fortasse natura fecit quod Francogallis distinctionem accusatiui et datiui in multis negauit – quam Latinitas eheu tamen flagitat.

Atqui non haec aliquis scripsit senex in otio priuato, ut Rouse Cantabrigiensis, non ludi magister modestior, qualis Lieberkuehn fuit, sed fecerunt professores, qui hoc ipso tempore in uniuersitatibus Parisiensi et Burdigalensi iuuentutem docere sese profitentur. Quos non modo reprehendo propter uitia sermonis innumera, sed etiam quod ne in eis quidem quae satis emendate scribunt quicquam inest leporis Latini; non minus autem quod tam spurcis scriptis picturisque eis hominibus de plebe morem gerunt qui in Romanis nil audius quaerunt quam caedes, asotias, saeuities, bacchanalia aut, ut breuius dicam, libidines et scelera (si „sex and crime“ sic uertere fas est). Vbi Musae, ubi litterae, ubi humanitas? Seneca ipse, quem omni culpa liberare nolis, illic tantum ut Agrippinae facinorum socius, non ut praeceptor morum inducitur. Atque in paucis paginis sescenta nuda corpora partim uiua partim mortua aut cruore oblita oculis curiosorum exhibentur. Haec etsi bene in nundinis ueneunt, nec doctiores oblectare nec parum eruditos ad linguam Romanorum perdiscendam allicere possunt.

De Tacito facundissimo

Iuuat eo magis scriptores proferre, qui, cum Iuuenalis more indignentur – *Semper ego interpret tantum?* –, hoc interpretandi munus siue onus omnino deseruerunt, ut pueris aliquid nouum, genuinum, uere Latinum exhiberent. Mulierem primam laudare iuuat: Mercedem González-Haba,²¹¹ Hispanam origine, Romanam ingenio, quae, cum in *Thesauro linguae Latinae* Monacensi opus fecisset, per multos annos litteras Latinas in uniuersitate Treuirensi (Trier) docebat, ubi nouem aut plures comoedias Plautinas una cum scholaribus in scaena exhibuit, non ciuibus suis solum plaudentibus – nam ea cum suo grege etiam in alias urbes gentesque uocabatur. Cum autem sermonis cottidiani atque adeo uulgaris unice perita esset, hac scientia nixa fabulam felinam contexuit, quam inscripsit *Tacitus cattus* (a. 1997). *Cattus* enim, ut lexica declarant, est

211) Pauca de ea iam scripsi in W.St., *Scripta Treuerorum: Lateinische Spaziergänge durch zwei Jahrtausende Trier, Augustae Treuerorum* 2014, 143–145.

bestiola, quae *feles* dici solet, est autem, ut ex ipsa terminatione apparet, feles masculus („Kater“ siue „tomcat“). Is igitur in hac fabula uitam suam serio describit, tamquam ea cognitu dignissima sit. Incipit autem sic:²¹²

Quis ego sim, quid mihi uelim, paucis eloquar, si per uos licet. Ego catus uerus et merus sum. Nomen mihi, seruo uestro, Tacito de Eichenhof; uobis autem me Tacitum audacter appellare licet; nihil ego longos logos moror. Quomodo in photographemate, quod in frontispicio huius scripti impressum est, uidere potestis (id legitimum, tamquam e syngrapho personali, ubi secundum felina edicta corpus integrum apparere debet), sum ego, Tacitus, colore fuluo, pectore calceolisque albis.

Ne quis autem tam molestus existat, ut Tacitum reprehendat, quod se more Gallico aut Germanico lectoribus ut *seruum uestrum* („euer Diener“) commendet. Haec hilaritati donanda sunt, ut etiam *syngraphus personalis* (Germanice „Personalausweis“), qui tamen si audacius *charta identitatis* uocaretur, id minus tolerarem. Nam *photographema*, ne quis offendatur, inter Latine scribentes dudum receptum est (etsi φωτογράφέω, quantum scio, nusquam inuenitur); et *longos logos* iam Plautus detestatur. Habet enim sermo cottidianus hanc gratiam propriam, ut saepe Latino iusculo has Atticas χάρτες quasi sales aspergat. Mirum autem si cui uideatur quod catus ille Mercedes litteris in scribendo uti sciat, discat ab ipso de *ludo felino*, quem adierit:²¹³

Sed ut ad id, unde coeperam, redeam: ego litteras scio, quia alternis diebus ad uillam catus ex propinquo nos docturus ueniebat; is magister doctus ac curiosus mihi aequalibusque meis fuit. Catto sene quodam auctore compertum habebamus baptismale nomen ei – magistro dico – Maximo, attamen Thalem Milesium sapientiae causa uocari,²¹⁴ itaque catuli eum dominum Thalem appellabamus, quod ille, ut mihi quidem uidetur, non inuitus audiebat. Perspicillo²¹⁵ inter docendum utebatur, nobis autem manifestum, id ostentationis causa fieri: si diligenter aspiceres, luce clarius erat, illud uitra nulla habere. [...] Dicebat etiam pue-

212) M. González-Haba, *Tacitus Catus*, Sarauiponti 1997, 5. Liber uenalis prostat hic: Societas Latina, Universität des Saarlandes – FR 5.2, D-66041 Saarbrücken.

213) *Tacitus* (ut n. 212) 8–10.

214) Thalem magistrum ludi fuisse traditum non est, sed inter Septem sapientes numerabatur, quia primus praecepit illud Γνῶθι σαυτόν, quod etiam felibus conuenit.

215) *Perspicilli* uox nunc in usu est pro instrumento uitreo, quod aciem oculorum acuit; pro quo saec. XVI et XVII usitatius erat *conspicillum*.

ris, nisi minus sapientiae quam lapis habere uellent, post ludum elementarium artificium uel aliud quicquam²¹⁶ discendum, at nobis instinctum naturalem satis esse, quod mihi quidem non falsum uidetur, nam pol numquam ego in mea uita audiui studiorum uniuersitates uel scholas technicas felinas esse.

Haec fortasse non assequuntur castissimam illam Latinitatem, quam Paoli affectauit. Sed tamen spirant genium Latinae linguae, quem in hoc natiuo sermone felino magis uigere sentis quam in plerisque eis quae interpretes contexuerunt.

De Apuleio rediuiuo

Sed fortasse etiam eloquentius quam cattu Treuirensis loquitur simius Heidelbergensis. Nam Michael ab Albrecht professor Latinus notissimus, cum suos ipsius liberos sub noctem saepe, ut consopiret, fabellis excogitatis oblectauisset, ex his et talibus inuentis concinnauit (a. 1989) iucundissimam fabulam, s.t. *L. Simii Liberatoris Commentarii*,²¹⁷ quorum argumentum hoc est: Lucius ille, qui in Apulei *Metamorphosibus* asinus factus erat, ex Elysio in hominum terras redit in simii figuram conuersus. Nec tamen illic Latine garrere desinit et, quod admirabile est, non paucissimos inuenit, qui secum loqui uelint. Et hoc quidem praesertim in Germania, ubi Strabone grammatico quodam auspice in honorem Augustae Vindelicum MM annos natae (unde tempus fabulae manifestum fit²¹⁸) Latine cantatur, saltatur, in scaena etiam luditur. Sed legentium maxima uoluptas ex eo nascitur, quod is simius nostri

216) Malim *aliquid aliud*, nam *quicquam* nisi in negatiuis aut condicionalibus poni non solet.

217) Editi primum in: M. von Albrecht, *Scripta Latina* [...], Francofurti ad Moenum et al. 1989, 93–124: deinde separatim in editione bilingui, imaginibus ornata, Heidelbergae 1991, denique: s.l. (Verlag Rudolf Spann) 2004 (sine translatione, cum praefatione et notis); nunc prostat apud Roman Shop – Der Roemer Shop: www.der-roemer-shop.de (ultimum euocauit 9.1.2016).

218) Anno a. Chr. n. 15 Drusus et Tiberius Vindelicis deuictis (cf. Hor. carm. 4,4) fundamenta iecisse Augustae Vindelicum (Augsburg) traduntur; a. 1985 p. Chr. n., i. e. uno anno prius quam oportebat, si rectissime computaueris, Augustani bis millesimum urbis annum celebrauerunt. Editi tunc sunt etiam LVDI LATINI litteris et musicae dicati (John Skow, Call this a dead language? In Augsburg, Latinists gather for *ludi* et *colloquia*, Time, 20.5.1985; Peter Vetterlein, Der Herr Professor lebt lateinisch: [...], Augsburgur Allgemeine 13.4.1985).

saeculi mores describit eosque suo siue Lucii more explicare conatur.²¹⁹ Vt cum ei primum e machina teleuisifica ludus pedifollii spectandus offertur, id animo secum uolutans denique allegorice interpretatur:²²⁰

[...] *in conclaui multos homines uidi sedentes et cistam quandam, ex qua tremula lux exibat, diligentissime religiosissimeque intuentes. Quam dum accuratius inspicio, in ea pusillum quoddam uirorum genus currentium et sphaeram nescio quam sectantium cerno. Hanc ad rem mirifice animus meus conuersus est, quippe qui religionum atque omnis generis sacrorum cognoscendorum essem cupidissimus. Ceterum mihi manifestum erat sphaeram illam nihil aliud nisi mundi imaginem esse uniuersi.*

Hinc igitur tantum pedifollii studium in omni orbe terrarum! Sed insunt etiam magis seria. Nam simius (siue Michael grammaticus) more satiricorum, magis tamen Horatii splene usus quam Iuuenalis stomacho, multa saeculi nostri uitia castigat: pestem ab autocinetis exhalatam, siluarum inde nascentes morbos, pecora in stabulis sole carentibus custodita, doctrinam academicam nimis ieiunam et inutilem, homines animas suas machinis computatricibus uendentes (quod nunc dudum omnibus manifestum est, abhinc paene triginta annos prophetae admirabile uaticinium erat). Immo uero id simius quasi fatale munus sibi impositum esse sentit, ut homines ab hac foedissima seruitute computatrorum liberet. Vnde in fine *Simius liberator* omnium suffragiis salutatur, et tota satira Menippea ridicula in uisum quasi apocalypticum desinit:²²¹

Ibi uidimus nouum caelum nouamque terram. Nam in pratis cum luporum catulis agni, cum leonibus boues, cum uulpeculis gallinae ludebant. Homines autem nigri, albi, rubri, lutei, buxei omni superbia deposita saltantes carmina Latina cantabant.

Quibus accinens Lucius uim ac potestatem Latinae linguae encomio et Aeoliis numeris amplificat:²²²

219) In hoc artificio ab Albrecht imitatus est fortasse Herberti Rosendorfer *Epistulas in antiquitatem Sericam scriptas* (Briefe in die chinesische Vergangenheit, Monachii 1983), quo libro iucundissimo Rosendorfer et ipse aemulatus erat *Epistulas Persicas* (Lettres Persanes) Baronis a Montesquieu (1721).

220) In ed. 1989 (uide n. 217) p. 98 sq.

221) In ed. 1989 (uide n. 217) p. 123.

222) In ed. 1989 (uide n. 217) p. 124.

*Lauda grammaticam quoque
sermonemque Latinum,
qui nexos retegit dolos,
fraudes dissipat omnes;
qui te compede liberat,
multis reddit amicum:
quo doctus sapere ausus es
fregistisque catenas,
stans ut iudicio tuo
tu mendacia uincas.*

Magis autem quam hoc canticum, quod diuino quodam instinctu profusum ueritatis profanae terminos egreditur, ipsa scriptura magistri ab Albrecht nos docet quomodo nunc Latinae fabulae in usum puerorum aut adulescentium componi possint et debeant: sermone simplici ac puro opus est, lepido et festiuo, Terenti pleno et Tulli – sed poscitur praesertim ingeniosa inuentio. Quae tum denique adest et apparet, cum scriptor non aliunde decerptas fabulas ut herbas ruminatur, sed nouos, natiuos, genuinos flores ex suo horto profert. *Maxima debetur puero reuerentia*, ait Iuuenalis (14,47). Ea scilicet, ut audacius dicam, fortasse non nimia erat in eis qui omni aeuo praeterito pueris fabulas Latinas scripserunt. Nam, si meministis, primi eorum quique eos secuti sunt sat habebant e Graeco Aesopi apologos in Latium transferre aut transformare. Tum renatarum litterarum aetate *Batrachomyomachia* et ipsa Graeca identidem Latine conuersa, nonnumquam etiam facete et ingeniose retractata est. Saeculo duodeuicesimo autem, quod a luce mentibus infusa nomen accepit, Fenelonii Francogalli *Telemachum* propter utilia praecepta et styli splendorem saepe poetice uertere malebant. Tunc condicio paulatim mutata est: Latini libri pueris minus propter doctrinam moralem aliquam scribi coeperunt, quam ut iuuentuti facilior aditus ad Latinas litteras esset. Manebat tamen tum quoque consuetudo transferendi in *Robinsonibus* illis minime spernendis. Neque ei qui se *Latinitati uiuae* addixerant, ab hac ratione deflectebant, sed cum multa in docendo nouare uellent, his uestigiis attritis inhaerebant.

Ergo, ut fatear, quod uix credibile uidetur: Mercedes Hibera et Michael Suebus hac nostra aetate, quae tot scriptores Latinos malos tulit, tamen fere primi fuerunt, qui suo ingenio freti, ut Michaelis uerbis utamur,

*ausi sunt sapere et graues
confregere catenas –*

catenas, inquam, quibus omnes uincti erant illi, quibus Horatius suum *O imitatores, seruum pecus!* inussit. Non igitur ne nunc quidem desperandum est nec nimis laudanda antiquitas, sed noua conemur, inaudita experiamur, aut, si ipsi iam parum ualemus, hortemur discipulos et posteros, ut ista nostri aevi exempla secuti in gaudium puerorum etiam meliora edant eis quae priores fecerunt. Nam sic imitabuntur etiam fabulosiorem illum Homerum, qui in insula Chio magister ex suo ingenio ranas muresque in atrocissimas pugnas prouocauit. Hic Rhodus, immo hic Chius, hic saltate!

Compendia et libri per compendia laudati

- Adrados, Francisco Rodríguez: History of the Graeco-Latin fable, 3 uolumina, Lugduni Bat. / Bostonii (Coloniae Agr.) I: 1999, II: 2000, III: 2003 (ex Hispanico translatum; retractatum ab auctore et Gert-Jan van Dijk)
- BBPM = Bibliotheca Bauarica Publica Monacensis (Bayerische Staatsbibliothek München)
- Blaise = Albert Blaise: Dictionnaire latin-français des auteurs chrétiens, Turnhouti 1954
- Bommel, Bas van: Classical humanism and the challenge of modernity: Debates on classical education in Germany c. 1770–1860, Berolini et al. 2015
- Curtius, Ernst Robert: Europäische Literatur und lateinisches Mittelalter, Bernae (1948) ³1961
- Dicke, Gerd / Grubmüller, Klaus: Die Fabeln des Mittelalters und der frühen Neuzeit: Ein Katalog der deutschen Versionen und ihrer lateinischen Entsprungen, Monachii 1987
- idem: Heinrich Steinhöwels Esopus und seine Fortsetzer: Untersuchungen zu einem Bucherfolg der Frühdruckzeit, Tubingae 1994
- Van Dijk, Gert-Jan: ΑΙΝΟΙ, ΛΟΓΟΙ, ΜΥΘΟΙ: Fables in archaic, classical and hellenistic Greek literature, Lugduni Bat. et al. 1997
- DNP = Der Neue Pauly: Enzyklopädie der Antike
- Eckstein, Friedrich Aug(ust): Lateinischer und griechischer Unterricht, Lipsiae 1887 (opus post mortem auctoris editum ab Henrico Heyden)
- Fritsch, Andreas: Lateinsprechen im Unterricht: Geschichte – Probleme – Möglichkeiten, Bambergae 1990
- Fuhrmann, Manfred: Latein und Europa: Geschichte des gelehrten Unterrichts in Deutschland von Karl dem Großen bis Wilhelm II., Coloniae Agr. 2001
- Fusillo, Massimo (ed.): [Omero] La battaglia delle rane e dei topi – Batrachomyomachia, Mediolani 1988 (appendicem scripsit Caterina Carpinato de fati Batrachomyomachiae a saec. IX ad XVI, p. 137–148)
- Glauche, Günter: Schullektüre im Mittelalter: Entstehung und Wandlungen des Lektürekansons bis 1200 nach den Quellen dargestellt, Diss. Monachii 1970
- Glei, Reinhold (ed.): Die Batrachomyomachie: Synoptische Edition und Kommentar, Francofurti ad M. 1984
- Grubmüller, Klaus: Meister Esopus: Untersuchungen zu Geschichte und Funktion der Fabel im Mittelalter, Turici et Monachii 1977

- Hausrath, (August): Fabel, RE VI 2 (1909) 1704–1736
idem: Phaedrus, Augusti libertus, der Fabeldichter, RE XIX 2 (1938) 1475–1505
HbKJ = Theodor Brüggemann / Otto Brunken (edd.): Handbuch zur Kinder- und Jugendliteratur, (uol. 1.) Vom Beginn des Buchdrucks bis 1750, Stutgardiae 1987; (uol. 2.) Von 1750 bis 1750, St. 1991; (uol. 3.) Von 1750–1800, St. 1982
Hervieux, Léopold, Les fabulistes Latins [...], uol. I/II: Phèdre et ses anciens imitateurs directs et indirects, Lutetiae Par. ²1893 / ²1894; uol. III: Avianus et ses anciens imitateurs, 1894
Holzberg, Niklas: Die antike Fabel: Eine Einführung, Darmstadii ²2001
Kipf, Stefan: Altsprachlicher Unterricht in der Bundesrepublik Deutschland: Historische Entwicklung, didaktische Konzepte und methodische Grundfragen von der Nachkriegszeit bis zum Ende des 20. Jahrhunderts, Bambergae 2006
KJLex = Alfred Clemens Baumgärtner et al. (edd.): Kinder- und Jugendliteratur: ein Lexikon, Mitingae 1995–2015
Knauer, Georg N.: Iter per miscellanea: Homer's Batrachomyomachia and Johannes Reuchlin, in: Stephen G. Nichols / Siegfried Wenzel (edd.): The whole book: Cultural perspectives on the medieval miscellany, ad Annae Arborem, Mich. 1996, 23–36
Leonhardt, Jürgen: Latin: story of a world language, Cantabrigiae, Mass. / Londini 2013 (retractatum post uersionem Germanicam: Latein: Geschichte einer Weltsprache, Monachii 2009)
LexMA = Lexikon des Mittelalters
Ludwich, Arthur (ed.): Die homerische Batrachomachia des Kares Pigres nebst Scholien und Paraphrase, Lipsiae 1896
Lukas, Veronika (ed.): Batrachomyomachia: Homers Froschmäusekrieg auf römischer Trompete geblasen von Jacob Balde S.J. (1637/1647), mit kritischer Ausgabe des ersten Buches, Uebersetzung und Kommentar, Monachii 2001
Luther, Martin: Etliche Fabeln aus Esopo / von D.M.L. verdeutscht [...], Anno M.D.XXX., in: Otto Clemen (ed.), Luthers Werke in Auswahl, uol. 4, Bonnae 1926, 229–238
Melancthon, Philippus: *Melanthonis opera quae supersunt omnia*, ed. Carolus G. Bretschneider, uol. 7, Halis Saxonum 1839; uol. 11, ibid. 1843; uol. 18, ibid. 1852
Mandt, Nina: Die pseudo-homerische Batrachomyomachia und ihre Transformation im Croacus des Elisius Calentius, Wiener Studien 126, 2013, 261–280
Most, Glenn W.: Die Batrachomyomachia als ernste Parodie, in: Wolfram Ax / Reinhold F. Gleis (edd.), Literaturparodie in Antike und Mittelalter, Augustae Treuerorum 1993, 27–40
Nøjgaard, Morten: La fable antique, 2 uol., Haunia 1964/67
Pantoia = Bernd Platzdasch: Pantoia: Unterhaltsame Literatur und Dichtung in lateinischer und griechischer Uebersetzung / Bibliographie (12.4.2014) <http://www.pantoia.de/pantoia.html> (promptuarium optimum assiduis studiis retractatum, quod etiam ad multos libros copulas interretiales praebet)
Perry, Ben Edwin (ed.): Aesopica, Urbanae 1952 (promptuarium utilissimum)
Platzdasch, Bernd: Philipp Julius Lieberkuehn (1754–1788): Skizze seines Lebens und Wirkens, 2012: http://www.pantoia.de/Robinson/RS/RS1785_DIGI/Philipp-Julius-Lieberkuehn.pdf
RE = Paulys Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft

- Schnur, Harry C. (ed.): Fabeln der Antike, griechisch und lateinisch, Monachii 1978 (etiam cum uersione Germanica)
- idem (ed.): Lateinische Fabeln des Mittelalters, lateinisch – deutsch, Monachii 1979
- Speckenbach, Klaus: Die Fabel von der Fabel: Zur Überlieferungsgeschichte der Fabel von Hahn und Perle, Frühmittelalterliche Studien 12, 1978, 178–229
- Steinhowel, Heinrich (ed., transl.): Esopus [siue Fabulae], Vlmae c. 1476 (editio bilinguis; digitalizata aditur per BBPM, Münchner Digitalisierungszentrum)
- Stroh, Wilfried: Lebendiges Latein, DNP 15, 2001, 92–99
- idem: Latein ist tot, es lebe Latein! Kleine Geschichte einer großen Sprache, Bero-
lini 2007 (²2008 et saepius)
- Thiele, Georg (ed., comm.): Der Lateinische Äsop des Romulus und die Prosa-Fas-
sungen des Phädrus, Heidelbergae 1910 (iter. 1985)
- ThLL = Thesaurus linguae Latinae
- West, Martin L. (ed., transl.): Homeric hymns, Homeric apocrypha, Lives of Ho-
mer, Cantabrigiae, Mass. / Londini 2003
- Wheatley, Edward: Mastering Aesop: Medieval education, Chaucer, and his follo-
wers, Villa Gainesii (Gainesville) et al. 2000
- Wild, Friedrich: Die Batrachomyomachia in England, Vindobonae et Lipsiae 1918
- Wölke, Hansjörg: Untersuchungen zur Batrachomyomachie, Meisenheimi 1978
- Wright, Aaron E. (ed.): The Fables of ‚Walter of England‘: Edited from Wolfenbü-
ttel, Herzog August Bibliothek, Codex Guelferbytanus 185 Helmstadiensis,
Torontone / Ont. 1997

München

Wilfried Stroh

Summarium

Ob es erzählende lateinische Kinderbücher in der Antike gegeben hat, ist ungewiss. Denn die Aesopfabeln, die Quintilian zu einfachen lateinischen Stilübungen heran-
zieht, könnten griechisch gewesen sein. Die poetischen Fabelbücher des Phaedrus
und Avianus waren offenkundig nicht für Kinder bestimmt. Erst mit der spätanti-
ken Prosafassung des Phaedrus, dem nach seinem Verfasser sogenannten *Romulus*,
beginnt die Geschichte des lateinischen Kinderbuchs. Sein Programm, zugleich mor-
ralisch nützen und intellektuell erheitern zu wollen, wird zur herrschenden Fabel-
theorie. Als das im Mittelalter dominierende Schulbuch ist der *Romulus* in ver-
schiedenen Fassungen überliefert, die dann z. T. auch wieder in Verse übersetzt wer-
den (ohne dass man den originalen Phaedrus kennen würde). Besonderer Erfolg hat
der in ansprechenden elegischen Distichen verfasste sog. Anonymus Neveleti, der
im späten Mittelalter als ‚der‘ Aesopus gilt und bis in die Neuzeit gedruckt wird,
z. B. in Heinrich Steinhowels international erfolgreichem zweisprachigen *Esopus*
(c. 1476).

In der Renaissance setzt sich neben Äsop als neues lateinisches Lesebuch die
Homer zugeschriebene *Batrachomyomachia* durch. Anders als heute die Forschung
annimmt, hatte sie im griechischen Schulunterricht der Antike trotz ihres scheinbar
kindgemäßen Stoffs keine Rolle gespielt, sondern war erst von den Byzantinern als
Schulbuch entdeckt worden, vor allem wegen des Bedürfnisses nach einem kind-
gemäßen und doch hochsprachlichen Text. So wird sie in einer griech.-latein. Aus-

gabe zum wahrscheinlich ersten (c. 1474) griechisch gedruckten Buch Europas. Zahlreiche lateinische und andere Übersetzungen sowie Neubearbeitungen folgen nach. Als bedeutendste können gelten die lateinischen Nachdichtungen von Elysius Calentius und Jacobus Balde SJ (1637) sowie der riesige deutsche *Froschmeuseler* (1595) des Georg Rollenhagen, in dem (der Deutung Melanchthons entsprechend) der Froschmäusekrieg als Warnung vor unbedachtem Krieg interpretiert wird.

Das wohl erste speziell für die Jugend geschriebene Buch sind die vom französischen Prinzenzieher François Fénelon verfassten *Avantures de Télémaque* (1696), die mehrfach ins Lateinische übersetzt werden. Dies geschieht aber nicht so sehr, um mit einer interessanten Lektüre dem Sprachunterricht zu dienen, sondern aus Bewunderung für ein Werk, das weite Verbreitung verdiene und vor allem der Krönung durch die lateinische Sprache bedürfe. Die meisten Übersetzungen sind poetisch. Dagegen hat der sehr geschickt bearbeitete *Robinson* (1779) des Lateinlehrers Philipp J. Lieberkuehn zum ersten Mal einen sprachdidaktischen Zweck: Er soll der Jugend die attraktive Anfängerlektüre bieten, die sonst nicht vorhanden ist. Wenn trotz buchhändlerischem Erfolg des *Robinson* diese Richtung nicht weiter verfolgt wird, dürfte dies an der neuhumanistischen Ausrichtung auf die antike Klassik liegen. Erst am Ende des 19. Jahrhunderts werden von einem Vorkämpfer des heute sog. *Latin vivant*, Arcadius Avellanus, wieder englische Jugendklassiker lateinisch übersetzt. Ihm folgen andere in Italien, wie der sprachmächtige Ugo Enrico Paoli, und besonders Deutschland bzw. Österreich, wo Erwin Steindl einen oft imitierten *Max et Moritz* (1925) auf den Markt bringt.

Den überragenden, kaum erklärbaren Erfolg erringt aber der gebürtige Ungar Alexander Lenard mit *Winnie ille Pu* (1960), der sich trotz sprachlicher Dürftigkeit einen Platz auf der amerikanischen Bestsellerliste erobert. Er löst damit eine wahre, bis heute nicht abebbende Flut von lateinischen Übersetzungen beliebter Kinderbücher aus, die sprachlich oft weit unter dem Niveau Lenards liegen. So ist allein *Le petit prince* inzwischen dreimal übersetzt worden. Ob diese Werke ebenso viel gelesen wie gekauft werden, bleibt offen. Gerne gelesen wird wohl immerhin die Serie des (nach dem Französischen bearbeiteten) *Asterix Latinus*, die Karl-Heinz Graf von Rothenburg verantwortet, dem man Witz und Können nicht absprechen kann. Während aber bis dahin von *Romulus* bis *Asterix* lateinische Jugendbücher letztlich immer nur in Übersetzungen bestanden haben, hat man sich in jüngster Zeit bemüht, original lateinische Werke zu schaffen, nicht ohne Erfolg. Zu nennen sind Michael von Albrecht (1989) und Mercedes González-Haba (1997): Bei ihm spricht ein Affe Latein, bei ihr ein Kater.